


QUATENUS

TRAGICOMŒDIA DE CALISTO Y MELIBEA

VULGO CELESTINA DICTA

AD INFORMANDUM HISPANIENSE THEATRUM VALUERIT

Thesim Facultati Litterarum

in Parisiensi Universitate proponebat

E. MARTINENCHE

Scholæ Normalis olim alumnus

in Nemausensi lyceo rhetorices professor




NIMES

IMPRIMERIE COOPÉRATIVE LA LABORIEUSE

7, rue J.-B.-A. Godin

—

1900





suppetet responsum. In ea enim tragicomædia, quamvis nonnulla sint quæ ab antiquis auctoribus decurrant, Hispania omnis cum habitu et moribus propriis redolere videtur; tum in ea insunt quædam personæ quas recentiores totius Europæ poetæ usurpabunt; tum denique is est flos novitatis, sive mores et personas inspicis, sive componendi artem et nervos quibus fabula viget, ut nonnullos pariter omnium gentium scriptores deleniverit et ad imitationem sui impulerit. Hæ igitur præstantis illius tragicomædiæ virtutes penitus nunc examinandæ sunt.

LIBER PRIMUS

QUÆ FUERIT CIRCA DECEDENTEM QUINTUM DECIMUM SÆCULUM HISPANIA ET QUATENUS IN PRIORIBUS THEATRALIBUS OPERIBUS EXPRESSAM SUI IMAGINEM RETULERIT.

Si tibi dignoscere propositum est quid fuerit Hispaniæ proprium et peculiare id temporis cum primum ea imperium fieri cœpta est non longius quæras oportet. Satis est et ubi sita sit intueri, et quæ rerum gestarum memoria fuerit recordari, et prima poetarum exemplaria manu versare. A reliqua Europa montibus perpetuis sejuncta haudquaquam moribus similes ceteris Europæ populis incolas tulit, et si ad Annales respexeris, si hoc ne puncto quidem temporis contra Mauros intermissum bellum donec eos funditus exterminaverit animo reputaveris, facile apparebit hunc populum et dissimillimum ceterorum futurum fuisse et reipsa fuisse. Non enim tantum caritate patriæ in Mauros invehebantur, sed quoniam Mauri non solum fidei christianæ expertes essent sed etiam eam incredibili odio prosequerentur, Hispani hujus fidei defendendæ causam suscepere et huic susceptæ causæ nunquam defuere. Inde assidua bella et acerrima in quibus eximiæ et singulares virtutes oriebantur. Hispani enim cum se crederent designatos fuisse milites ut labanti christianæ fidei opem ferrent his bellis cum fanatico quodam ardore fungebantur quippe qui non solum pro patria, sed etiam pro religione, quæ quidem multo carior, mortem oppetere arbitrarentur. Itaque vel trucidandi vel moriendi pari studio libidinem et quasi voluptatem appetebant. Inde fit ut bellum non tantum res justa esset quod pro patria et pro Deo simul susciperetur, sed etiam res sacra, et cum assidue variis vicibus nec unquam despondentes animum per septingentos annos sustinuerint, postquam tandem ferocissimos christianæ fidei hostes expulerunt, cui mirabile videatur si præter ceteros christianæ religioni deditos populos Hispani singulari fide hanc et fanatico amore et defenderint et foverint?

Nec satis : his enim temporibus et apud illas gentes viguere quædam dotes quæ præcipue illos quorum vita in bellicis officiis versatur decorare videntur, scilicet quædam modum excedens fortitudo, obstinatus et defixus ad ulciscendas injurias animus, nec unquam abjurata, si modo data sit, fides, denique habitus quidam superbiam spirans, nec, decore amisso aut læso, ulla quies quin pœnæ repetantur, et honos, a patribus traditus, aliquo magno facinore integer restituatur. Quæ quidem peculiaria illi genti falso dicantur quandoquidem apud Italos aut præsertim apud Gallos inveniantur et in poematibus « *Reali di Francia* » dictis aut in nostris epicis carminibus sæpius celebrentur. Nihilo tamen minus asserendum est has virtutes altius provectas esse et diutius simul et effusius apud Hispanos viguisse, ita ut illarum flos ibi et perfectum exemplar exstitisse jure videantur.

Qui enim res aliter fieri potuissent ? Ex illis bellis quæ memoravimus exsistere apud illas gentes et redundare quamdam consuetudinem necesse erat altius mente exsurgendi et sublimia tantum excogitandi et quasi « sidera vertice feriendi ». Nobis vero seu litteras quibus vera gentis imago exprimitur, seu rerum gestarum Annales respicientibus, eadem hæc sese offerunt : gens e modo solita sœpenumero egredi et inusitata tantum et grandia amore suo prosequi et ad ostentationem prompta et usque ad vitium grandiloqua. Hæc atque talia in omnibus vel antiquissimis libris quos tulit Hispania reperiuntur qui nihil aliud nobis proponunt nisi res aut modum excedentes aut quotidianos et mediocres vitæ usus supergressas aut ita nihil medii, nihil simplicis præbentes, ut insanire vel, si hoc durius dictum putes, certe vestigia vulgo a ceteris populis trita deriliquisse videantur, et si quid ingenium liberius, immissis habenis, insoliti excogitare possit, hoc potissimum assecutos esse et in his quæ extra naturam et veritatem evagantur exsultasse et triumphasse.

Non igitur multum a vero discedat si quis contendat His-

paniam natura et quodam ingenito motu sublime spirare. Sed si magnitudine rerum trahitur, non minus ex contrario horrida et aspera et ad truces sæpe cogitationes rapi videbitur. Non una enim et simplex exstitit illa gens sed ex diversis et inter se pugnantibus moribus constare videtur : hic igitur invenias et insigni pietate præditos pontifices et omni laude decoratos nobiles et latrones omnibus sceleribus fœdatos et lenones et lenas et si quid adhuc turpius aut vilius excogitari potest. Nec solum discretos et oppositos his tantis dissimilitudinibus homines offert Hispania, sed etiam in iisdem hominibus juncta penitus quæ soleant alibi discreta inveniri. Si ardore et impetu mentis ad sublimia Hispani, quasi lege quadam naturæ suæ, evehuntur, non minus æstu sanguinis ad impudica et probrosa impelluntur, nec facilius eos cohibeas, sive ad virtutes eximias, sive ad luxuriam flagitiosissimam irruant. Quidquid vero agant iidem invenientur ; eadem vi contraria arripiunt, pariter extra modum exsurgentes, sive mala gaudia, sive clarissima facta animo reputant. Hispanus enim simul et fortitudine erit insignis et feritate ; pietate eximia clarebit et libidinibus fœdabitur turpissimis ; ferocissimus erit et, si data est occasio, humillimus, ita ut, si velis ad eos describendos iis uti figuris quibus ipsi solent, non prave depingere possis habitu et figura eximiæ virginis in luto penitus pedes infixos habentis.

Hæc autem contraria et absona nunquam in animo habuere ut quodam modo temperarent, nedum funditus tollere tentaverint. Hæc est causa cur, cum simul essent superbissimi hominum, si ad honorem respicias, et humillimi, si ad leges a religione indictas, ars illa apud illos inventa fuerit et paulo post perfecta evaserit qua quidquid vel cogitaveris vel feceris quibusdam conditionibus ignosci possit, cujus artis beneficio nihil opus erat ut aliquid e feroci animo remitterent, quandoquidem pleraque sine scelere, sine noxa effici poterant.

Hispania igitur adeo est aliquid singulare ut vi quadam propria eas mutationes mediocriter cognoverit quæ sub idem tempus vicinis gentibus tantam sui mutationem attulere. In

Gallia enim, quam exempli gratia usurpabimus, novas res parari et fieri videmus et hanc gentem paulatim a priore habitu recedere. Illi enim longi ævi spatio quod « medium ævum » nuncupamus renovatio quædam, novum et cogitandi et vivendi modum secum ferens, imposuit finem : regis auctoritas amplior fit et sibi nobiles justæ auctoritatis impatientes submittit ; medius civium ordo exoritur qui nec bellicis rebus nec jocis quibus nobiles indulgere solebant, sed mercaturis operam et tempus dant ; inde divites facti mitiore vita fruuntur nec non urbaniore. Jam a rudibus illis temporibus sese avertens novam ætatem sine dubio priori potiorem Gallia instituit. Apud Hispanos contra et mores et habitus et vivendi genus quod medii ævi proprium fuerat nunquam intermissum est ; nunquam illi hunc rerum sublimium amorem quem ab origine foverant aversati sunt ; nunquam, ut ita dicam, e cœlo in terras descendere, ubi mediocrem et industriosam vitam agerent, voluerunt ; nunquam animum ad mercaturam ut ignobilem sane et talibus viris indignam convertere. Sui juris etsi amplissimas regiones postea fecerunt, nunquam ad culturam eas accommodavere ita ut tum demum ad paupertatem vergere videatur Hispania cum ditissimam orbis terrarum partem subegit. Ea est enim Hispania, ea semper erit quam diximus, conflata ex duobus hominum generibus : alterum nobilium otiosum et arrogans et tantum sublimia animo versans, vel qui propius regem contingunt, vel qui pagos et pauperes ædes pannosi simul et superbi, ut fuit pulcherrimum Hispaniensis nobilitatis exemplar *Don Quijote ;* alterum egentium et precariam et inopem vitam degentium nec tamen illa superbia, quæ apud nobiles clarius eluceat, orbatorum. Medium autem civium ordinem et mediocres illas virtutes quæ tales homines deceant, id est industriam et rebus agendis intentum animum frustra requiras.

Hanc præcipuam gentis illius indolem necessaria quadam lege poetæ referunt et legislatores : poetæ autem recentiores eodem spiritu inflantur quo priores, cum facta egregia herois illius quem « *El Cid* » Hispani nuncupant, vel sacras

virtutes *Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ* laudibus extollebant; legislatores autem in codicibus hæc capita « *Septem Partium* » non omittebant in quibus sapiens rex Alphonsus XI de officiis nobilium ita loquitur ut *Amadis* illum vel *Palmerin* Anglorum principem de iisdem rebus disserentes credas (1). Et sacerdotes adeo non ab antiquis moribus abhorrebant ut illi archipresbytero *de Hita* qui et in sacris meditationibus et in profanis amoribus æque libens versabatur similes et ipsi viderentur. In omnibus Chronicis libris seu communibus seu regiis hæc eadem inveniuntur ab Alphonso Sapiente usque ad Carolum Quintum ; hic idem spiritus intus alit omnia quæ narrantur ab longinquis originibus usque ad recentiora tempora. Illos quoque libros qui equestrium heroum ficta et fabulosa facta copiosius enarrant pro documento habebimus qui, etsi alias summo amore perlecti fuerunt et per tot annos totam Europam delectaverunt, oriundi tamen ex Hispania esse videntur ibique propriam habere patriam. Quot natos et dignos patre habuit in Hispania Gallicus ille *Amadis !* quæ facinora humanum modum supergressa et sæpissime amentissima edidere et *Galaor* et *Esplandian* et *Palmerin !* Quin etiam sanctæ ipsæ Litteræ penitus apud Hispanos immutantur, si quidem in « *Caballeria celestial* » nobis Christus sub habitu prograediens Equitis leonem in scuto gerentis ostenditur, Lucifer autem serpentem in armis cælatum habens ideoque « e Serpente Eques » dictus.

Hanc peculiarem indolem sæpenumero et alias expressam nusquam pariter atque in « *Cancionero* » clarius manifestam reperire possumus. Res enim gestæ *vel a Gaiferos, Gonzalès Fernan* et *Garcia Fernandez* nullum alium populum insanire magnificentius potuisse affatim demonstrant. In quamcumque enim « *Romancero* » illius partem animum convertas, nihil aliud videas nisi promptissimos ad vindicandas injurias viros, ita ut familiæ honos aut nominis decus, sive vitam herois illius « *El Cid* » dicti evolvis, sive comitis Juliani, sive nothi illius *Mudarra,* pro numine colatur. Adde quod illi homines sanguine respersi ad sacer-

(1) Cf Part. II, tit. XXI.

dotes decurrunt ut piaculis et precibus sua illis aut exsecrabilia aut sane religionis leges lædentia facta condonentur. In iis tandem antiquis cantibus nec desunt exempla vel crebra quibus rusticitas morum erumpat et rudes animi ostendantur, sive rex Ferdinandus quasdam Chimenæ querelas de marito salibus minus facetis deridet sive illa *d. Lambra* cucumim sanguine refertum injici in nepotem jubet, sive sexcenta alia quæ referre supervacuum.

Hæc dissimilia et quasi inter se pugnantia, ex quibus natura Hispanorum peculiaris conflatur, in lucem quique omnes docuerunt fabulas et in primis *Lope de Vega* protulerunt. Vel si altius introspicias et ad illos dialogos unde « *comedia* » evasit revertaris, quosque sub fine quinti decimi post J. C. sæculi primum in usu fuisse satis constat, hæc eadem invenias : in qua igitur parte immorandum necesse videbitur si quæ fuerit *Celestina* quidve novi secum attulerit perpendere volumus. Ut enim in ceteris Europæ regionibus sic vel præcipue in Hispania circa religionem præsertim versantur incunabula theatri et ex illo quasi sacro fonte profluit quidquid in hoc genere litterarum scriptum est. Nempe illæ tragœdiæ vel comœdiæ quas Romani scriptores jam inde a principatu Augusti non ad ultimam caveam sed ad doctorum et prudentium animos delectandos respicientes ediderunt nunquam ad vulgi sensum accommodata fuere. Nec dum Barbari sæpius trans Pyrenæos montes irrumpebant nec per turbas quibus Hispania jamdiu vexata est licitum est ut consensus hominum litteris deditorum fierent ; quæ causa fuit cur non ad Plautinas vel Terentianas fabulas respiciendum sit, sed ad Atellanas mimosque, si quasi per gradus de antiquo theatro ad recentiorum temporum theatrum transgredi in animo est.

Nec magni æstimandi sunt illi Arabarum dialogi qui vel raro exstant quique et soluti et hiantes a rebus theatralibus valde abhorrent et in codicibus a *Casiri* (1) productis inveniuntur ; neque majoris momenti esse debent illæ fabulæ

(1) Cf. « Bibliotheca Arabico-hispana Escurialensis ».

quas meridiana pars Gallorum hæc circa tempora tulit quasque *Gancelmo de Faydit* et *Garsendà de Sabran* et *Arnaldo Daniel* et *Roger de Clermont* docuisse dicuntur. Si qui poetae, ut fuit *Giraut Riquier* e Narbonensi civitate oriundus, si qui *joculatores* cum plausu in Hispania circa tertium decimum sæculum excepti sunt, nunquam ad theatralia opera sese intenderunt ; nec, si fuerint a poetis quos nuperrime nominavi allati quidam ad scenam apti versus, illi simul atque Albigensium doctrinæ oppressi sunt neque quidquam auctoritatis in Hispania postea habuere.

Id vero genus fabulæ quod *mysterii* cognomine e religione materiam ducit et primum in lucem prolatum est et diu vivax floruit, haudquaquam habitu pristino ceterarum et sacrarum fabularum dissimile videtur quæ tum undique apud omnes Europeæ gentes exoriebantur. Attamen notum *Poema de los Reyes Magos* (1) aut illa *Representacion del Nacimiento* (2) quam *Gomez Manrique* in monasterio *Calabazanos* docuit legentis animo aliquid simplicius simul atque catholicæ fidei magis consentaneum offerunt. Circa Natalem J. C. diem crebriores fabulæ in Hispania quam in reliqua Europa exsistunt, easque cum summa diligentia summoque rerum sacrarum studio exceptas esse jam ante medium tertium decimum sæculum documentum præbere possumus vel locupletissimum, scilicet illam primam « *Partida* » regis Alphonsi Sapientis (3). Illius vero fabularum generis diutius amatores fuere Hispani, quandoquidem anno MCCCCLXXXVII in templo Sancto Salvatori Zaragosensi dicato datum est ejusmodi spectaculum de J. C. nascente, nec sine cantibus, quod *Maese Yust* ad reges Fernandum et Isabelam de fide christiana monendos scripserat. Quæ sit fides quam vulgo catholicam nuncupant, in his quas docuerunt Hispani de rebus sacris fabulis verius et planius cognoscere licebit nec in ullis ceterarum gentium fabulis adeo sincera reperietur.

(1) Un decimo sæculo ortum.
(2) Quœ « *représentacion* » quinto decimo sæculo acta est.
(3) Cf. ley XXXIV,, tit. VI.

Non tamen a religione omnia semina Hispanorum scenici ludi trahunt. Quædam enim invenias his ludicris quibus nobiles per otia pacis, haudquaquam belli immemores, capite adoperto et cuspide prætenta citatisque equis invicem alii in alios irruebant ; ad ea enim spectacula vulgus occurrebat. Magnus quoque visendi et audiendi gratia populi concursus fiebat in his diebus festis quibus rex insigne regium capiti imponebat ; hac quoque arrepta occasione carmina quædam (necdum etiam jure fabulas appellare possis) in pulpitis vel in plaustris magna plaudente corona recitabantur. Hunc morem in Aragonensi regione exstitisse vel prœcipue constat quem Castellanos dictos coluisse quoque in quinto decimo sæculo illa notatione dignissima « *Relacion de los fechos del muy magnifico é mas virtuoso señor el señor don Miguel Lucas muy digno Condestable de Castilla* » (1) demonstrat.

Quin etiam mores quidam plebis vel vitæ quotidianæ usus, sive quidam matrimonio jungebantur, sive ad fontem sacrum modo nati deducebantur, sive « *reinados* » aut « *mayas* » fiebant, ludi extemplo parabantur qui habitum quemdam rerum theatralium adhiberent, et certe minutæ et adhuc informes comœdiæ ex his occasionibus oboriebantur. Antiquorum ceteroquin mimorum sales et nugæ, remota omni verecundia, rusticorum cachinnos semper movebant.

Sed adeo intoleranda libertate utebantur ut sæpius sacerdotes divina quadam ira conciti hoc scribendi genus exprobraverint et horrendis exsecrationibus prosecuti sint, jam inde a Sancto Isidoro Sevillanensi (2) usque ad quintum decimum sæculum (3). Ut ex tricesima et quarta lege in illis *Siete Partidas* (Part. II, tit. VI) apparet usque ad sanctissimam templi partem, scilicet ad altare Dei

(1) Quæ narratio a *Gayangos* typis mandata est. Cf. *Memorial historico*, Madrid, 1855.

(2) Cf. « *Los Origenes* », lib. 18, cap. 41 et 59.

(3) Cf. præsertim Concilia anno MCCCCLXXIII (*Aranda*) et anno MCCCCLXXX (*Alcalà de Henares*) congregata.

dicacitas et mimicæ ineptiæ admovebantur, et ex veteri illo more quo modum sacratis carminibus quadam cantilena id est « *villancico* » imponebant intelligere licebit quibus vinculis innecterentur et res sacratæ et popularis licentia ; nec tamen cum sacerdotes salibus lædantur unquam læditur ipsa religio ; usque adeo apud illas gentes sacrata et omni amore et obsequio prosequenda religio videtur.

Nec, si abesse reverentiam ex illis ludis, ut ita dicam, scenicis qui in templis edebantur confidendum est, magis eam reperias in illis « *entremeses* » vel « *momos* » quibus solebant nobiles delectari. Illi « *entremeses* », nihil aliud commune nisi nomen habentes cum illis parvulis mimis quos postera latura erat ætas, e mutatione vestitus et simulacris et saltatione conflabantur. Necnon in « *momos* » cum primas obtineret saltatio, hic quoque vestitus mutationes fiebant ut videmus fieri in « *momo* » cujus auctor *Gomez Manrique* fuit quique in publicum XVIII a. Kal. Novembres anno MCCCCLXVII productus est, in quo demum regia puella *Isabel* ab Helicone descendens et vestitu Musam quamdam referens puero regio Alphonso jam antea octo præmiis a ceteris sororibus donato et ipsa nonum donum affert.

Ex tribus igitur fontibus, si hæc omnia colligere volumus, originem duxisse fabulæ istæ priores videbuntur, si quidem cum e rebus sacris, tum e ludis quibus agendis nobilitas per otia pacis tempus terebat, tum et moribus plebeiis aliquid simul detraxisse satis constat ; sed hæc semina tantum erant, nec propior messis, sed valde remota et longinqua. Nempe fabula e rebus sacris orta easdem semper imagines præbebat necnon habitu eodem utebatur. Sive circa natalem J.-C. diem versaretur, angeli cum pastoribus sanctam familiam invisebant eadem semper præferentes vota camdemque venerationem ; sive de his diebus luctuosis quæ necem infandam Cristi anteirent ageretur, solennia et immutabilia et mox trita usu carmina afferebantur. Quæ rudia et manu imperita adumbrata intuens quis animo præ-

sagire possit quæ futura essent opera illa « *autos* » cognominata et a *Mira de Amescua* et Calderone composita ?

Sunt et hujus temporis carmina quædam quæ, etsi quemdam dialogum continent, rectius lyricis quam scenæ natis rebus adscribas. Hæc a cantore non sine totius corporis motu cum recitarentur non idcirco æquiparare prologis æquum est, quando, sub temporibus tantum quibus *Lope de Rueda* vigebat, hoc carminis genus vulgo « *romance* » dictum prologus vel, si uti proprio vocabulo licet, « *loa* » et erit et appellabitur. In operibus a *Gonzalo de Berceo* compositis cantum quemdam invenimus quem satellites ad sancti sepulchri custodiam præpositi edebant, qui, etsi pars cujusdam ludi scenici ad celebrandam religionem adhibiti esse videtur, tamen non multum pertinet ad hane quam agitamus quæstionem, scilicet de informando apud Hispanos theatro. Nec plus ad eumdem finem valent sive Dialogi a *Compostelano* scripti, sive *El Duelo de la Virgen* a *Berceo* compositus ; quod quidem Judæus *Rabi don Santo de Carrion* scripsisse dicunt, scilicet illam « *Danza de la Muerte* », id aliquid utilitatis postea tantum habuisse videtur. Vel apud poetas *Puerto Carrero* et præsertim *Escriva*, etiamsi adumbrata quædam fabula inveniatur in qua Amor et Spes et quædam aliæ ἀλληγορίαι pro personis adhibentur, nihil aliud nisi loci communes sunt nulla re dissimiles his quibus uti solent lyrici nostri e Narbonensi provincia priore tempore orti.

Hæc eadem sed cum quodam molliore lepore refert bellissimus ille Dialogus a *Rodrigo de Cota* scriptus : in horto quem sol exussit ubi domus quam Gaudia vana incoluerant putres ostentat ruinas, sub paupere casula ætatem degit senex quidam, cui subito Amor fit obvius. In hunc statim tumido ore invehitur Senex quæque mala vel facinorosa edunt qui Amori inserviunt exprobrat. Cui quidem hæc et talia jactanti Amor in respondendo ostendit quam sit sua ipsius in domandis omnibus animantibus sive terram sive æquora sive aera incolentibus invicta potestas ; quin

etiam amorem esse per quem Musis dediti sua mirabilia opera excogitent et edant; esse saltem in amando aliquid amari ut plenius voluptas percipiatur. Hæc, ut diximus, cum summo lepore sunt, sed potius inter lyricas quam scenicas inventiones annumeranda et in memoriam si non totum sub nomine *Rosæ* scriptum poema, saltem primam et lepidissimam hujus partem revocant.

Vel maxime ab illo Dialogo abhorrent illæ notæ « *Coplas de Mingo Revulgo* » quas dicunt nec jure, mea quidem sententia, ab eodem auctore scriptas esse, quas vero libentius Johanni *de Mena* tribuendas puto (1). Hæc enim incondita regis Henrici IV satira libelli in hominem rebus publicis deditum habitum præfert et, cum a paucissimis tantum intelligi possit, a sacerdote scripta esse videtur. Sub speciem quatuor canum quæ jam non pecori ullam curam adhibent quatuor virtutes præcipuas describere videtur et septem peccatis gravissimis habitum dat totidem ferocium luporum. Hæc satis in excogitando facilia; cetera vero obscura, abscondita quæ non facile cogitatione vel sagaci attingas. Ceteroquin, in universum æstimanti, colloquium illud inter populum sub imagine pastoris *Mingo Revulgo* fictum et vaticinatorem quemdam *Gil Arribato* subtilius est quam ut multum rebus scenicis de quarum origine disputamus tribuisse possit. Aliquid autem attulisse illi Ecglogæ a *Francisco de Madrid* scriptæ verisimilius est quæ sub habitu pastorali regem Francorum Carolum VIII cui indictum nomen est *Peligro* (Periculum) et regem Hispaniæ *Fortunado* (Fortunatum) appellatum ostendit. Hoc autem opus extemporale et ex rebus præsentibus natum nihil novi aut inauditi affert et, quoniam ibi res non rectis nominibus sed

(1) In *Dialogi* editfone anno MDLXIX vulgata *(Medina del Campo)*, *Francisco del Canto*, nulla causa adhibita Rodrigi *de Cota* nomini et Ecglogam « *que dicen de Mingo Revulgo* » et primum *Celestinæ* actum addicit. Cum autem poematis sui « *de la Coronacion* » interpretationem et Iliadis epitomam *Juan de Mena* scripserit, nimia et impedita eruditione delectari videtur quæ nihil ad lepidissimum Dialogum « *entre el Amor y un Viejo* », multum vero ad confusas « *Coplas* » componenda, valet.

per figuras agantur, a legibus scenicis dissentire jure dicendum est : quas figuras non prius omittent dialogi quam *Celestina* claro suo exemplo auctores docuerit ut iis vanis nec ad finem propositum, si ad theatrum respicias, aptis rebus carerent.

Fabulas e religione ortas ante Fernandum *de Rojas* primus est *Juan del Encina* qui ad res humanas effingendas transtulerit. Primus quoque dici potest qui quæ lyricorum poetarum aut plebis propria antea essent dialogis incitatis et amœnis ornaverit (1). Itaque hunc Hispaniensis theatri initia dedisse in sua illa « *Loa de la Comedia* » (2) *Agustin de Rojas* profitetur. Non tamen in publicum opera sua protulit, sed intra parietes cum ducis Albani, tum etiam Principis *Don Juan*, illis privatis theatris contentus, non adhuc veras vel e natura expressas comœdias edidit sed potius semina quædam aut primam et imperfectam comœdiæ imaginem.

Hujus poetæ vitam intra tria spatia describere potis est. Natus aut in Salmantina civitate aut in suburbano litteris et theologiæ in illa ipsa urbe operam dedit. Quatuordecim vix annos natus versibus indulgebat et vix quinque et viginti annos egressus fere omnia carmina quæ in suo *Cancionero* versantur absolverat ; in quo sunt cum sacra poemata quæ meram nec simulatam religionem redolent, tum profana, quibus et ingenuus lepos et elegans gratia non desunt. Peritus musicus et poeta lyricus duas illas artes simul cum coleret, antiquorum vestigia et præsertim illorum fidibus deditorum poetarum quos meridiana pars Galliaæ tulit secutus est, ut illius « *Arte de poesia castellana* » demonstrat. Hanc rationem et viam secutus quas antea illæ « *Coplas de Mingo Revulgo* » aperuerant, Vergilii Bucolica fusius explicat, nonnullis rebus quas præsens ætas dabat admixtis. Tum vero, sine ullo dubio, professoris *D. Gutierre de Toledo* ope in domum ducis Albani excipitur qui in matrimonium

(1) Cf. *Teatro Completo de Juan del Encina, Edicion de la Real Academia Española*. — Madrid, 1893.

(2) *Viaje entretenido* (1603).

doña Isabel de Zuñiga y Pimentel duxerat quique pro virili parte in oppugnandis *Baza* et *Granada* pugnaverat. Dux Albanus et ejus uxor et juniores erant et divitiis affluentes; in magnificis ædibus supra campum qui ad rivum *Tormes* patet eminentibus, et ornamentis pulcherrimis decoratum, nihil aliud nisi vitam suam omnibus quæ ferunt ceteræ artes vel potissimum carmina voluptatibus explere in animo habebant. Festis diebus *Juan del Encina* studio eorum quibus famulabatur consulens sex Ecglogas et duo illa scenica spectacula quæ in *Cancionero* anno MCCCCLXXXXVI edito continentur confecit. Illis si spectaculum « *del Amor* » dictum et Ecglogam vulgo « *de las grandes lluvias* » appellatam adjungas quæ in publicum etsi anno MDVII emissi fuerunt tamen litteris mandata sunt alterum anno MCCCCLXXXXVII postquam princeps *don Juan*, Regum Catholicorum filius, Margaritam *de Austria* in connubium duxerat, altera autem anno MCCCCLXXXXVIII; si, ut dixi, hæc illis adjungas, qæucumque scripserit ad scenam *Juan del Encina* et in quibus ante *Celestinam* immorari deceat in promptu habeas. Immutabitur enim postea illius poetæ ingenium, seu operibus Fernandi *de Rojas* penitus lectis, seu quid novi ex Italia cum rediret attulerit.

Secundam vitæ Johannis *del Encina* partem nunc attingimus. Quia Romam Hispani, regnante Alexandro VI, comiter excipiebantur, vel quod musica cui operam jam antea dederat peritior fieri cupiebat, urbem Italiæ primam, ubi Bartolomeum Torres Naharro nacturus erat, circa annum MD proficiscitur. Hic dum in musica et litteris excolendis, tum quoque rebus sacris deditus tempus suum adhibet, nempe diligentia in dies aucta quæ sanctissima videt accuratius sequitur, et jam vergente in senium ætate voluptates quibus adolescens indulserat aversans in religionem quasi in arcem tutam confugit (1).

(1) Cf. In Johannis nostri « *Cancionero* » versus qui « en nombre de un galan à su amiga, por quien mucho habia perdido, andando por ella huido é desterrado », et « à une señora de quien se enamoro, estando muy apartado de amores é metido en devocion » inscribuntur.

Cui religioni ultimam ætatis suæ partem omnino dedisse videtur. Impositus enim anno MDXIX a summo pontifice *Leon X* Ecclesiæ Leonensis sacerdos, Roma eodem anno proficiscitur, marchionem *de Tarifa* intra fines Venetiæ convenit et paulo post Hierosolymæ sacra mysteria concelebrat. (1) Quibus temporibus in Hispaniam redierit incertum est ; si fidem illi *Gil González Dávila* (2) adhibere licet, mortem obiit anno MDXXXIV in Salmantina urbe ibique in basilica terræ mandatus est.

Quid sit igitur notandum in his decem fabellis scenicis a Johanne *del Encina* intra primam ætatis suæ partem scriptis, et quatenus in his mores proprios Hispanorum depinxerit nunc est requirendum, ut facilius nobis occurrat quam res nova et inaudita *Celestina* illa fuerit et quantum postea Johannem ipsum informaverit. Duæ primæ illius Ecglogæ in scenam prodierunt nocte Nativitatis, anno MCCCCLXXXVII, in domo ducis Albani ubi structum pulpitum fuerat. Spectante duce et tota ejus familia procedunt duo pastores : ex altera parte venit *Juan* qui se beatum profitetur quod novos dominos habeat ; ex altera autem *Mateo* qui ejus obtrectatorum verba usurpat. *Juan* in quo facilius est auctorem ipsum agnoscere se jamjam opera sua editurum pronuntiat ut ii qui eum maledictis lacessant obmutescere cogantur, et novissimis suis verbis ad prosequendos rursus laudibus dominos suos utitur. In secunda Ecgloga quæ eadem nocte recitata est, a duobus pastoribus *Lucas* et *Marco* nuntiatur natum esse Jesum Christum, qua re nuntiata quatuor in unum congregati pastores effusius lætantur et iter ad invisendum modo natum et sanctissimum puerum, lepidum « villancico » et ab ipso *Encina* musica ornatum canentes, ingrediuntur. (3) Simpliciter inter se

(1) Cf. « Trivagia o via sagrada de Hierusalem » quæ Romæ anno MDXXI in vulgus emissa est.

(2) Historia de las antigüedades de la ciudad de Salamanca — Salamanca, Artus Taberniel, 1606.

(3) Cf. « Cancionero musical de los siglos XV y XVI transcrito y comentado por Francisco Asenjo Barbieri. Madrid, 1890. »

pastores disserunt, ita ut statarius ille dialogus sane appellari possit ; sed nunquam a fonte sacro sese amovet poeta, quandoquidem nihil a commenticiis Evangiliis mutuatur,— quod sæpe nostri poetæ eamdem hanc materiam scenæ accommodantes facere non dubitaverunt. Nec minus simplices sed dulcedine quadam magis perfusæ videntur illæ « *Representaciones de la Pasion y de la Resureccion* » quæ in parte ædium ducis Albani religioni dicata anno MCCCCLXXXXIII acta sunt, altera anniversario mortui J. C. die, altera illo die quo J. C. renascentem concelebrant. In his spectaculis cum Veronica oculis spectantium obversatur quæ duobus eremitis Salvatorem et in crucem actum esse et ibi morte nefandissima peremptum esse questibus et lacrimis enarrat ; tum contra *Lucas* qui maxima commotus lætitia et pio accensus amore jamjam omnibus orbis terrarum populis dulcissimum imperium et optatissimum crucem illam impondituram prædicat.

Non vero eamdem formam referunt duo Eclogæ quæ in nocte bacchanalibus signata anno MCCCCLXXXXIV actæ sunt, altera ante cœnam, altera vero post cœnam ducum Albanorum. In altera enim pastor *Beneito* et ejus amicus *Bras* de bello quod cum Gallia impendeat queruntur, cum e macello redux *Pedruelo* nuntium jam icti fœderis affert ; quo audito læti lepidum « villancico » cantare instituunt. Spirat ille dialogus aliquid veri simul et amœni, et vocabulum « sagagués » (1) dictum quo pastores utuntur saporem facetum redolet. Sonat rusticius secunda intra tempus bacchanalium acta Eclogæ in qua, sicut in ridiculis et figuratis prœliis quibus Galli pariter ac Hispani delectati sunt (2), heluones de edendo fortiter decernunt, nec a

(1) Hoc « *sayagués* » verbum a « *Sagayo* » pago (in provincia *Zamora*) dictum est cujus pastores in eloquendo et vitiosis et obsoletis vocibus utebantur quas barbaras aut a quotidiani sermonis usu intermissas repetere bucolicis fabulis et canticis de Nativitate « *villancicos* » dictis consentaneum, secunda saltem in parte decimi quinti sæculi, habitum est.

(2) Cf. ridiculosam illam rixam « Bataille de Karesme et de Charnage » dictam aut facetam hanc pugnam qua cum « *don Tocino* » (Petaso) et « *doña Cecina* » (Salsa caro) « *d. Cuaresma* » et archipresbyterus *de Hita* confligunt. (*Libro de Cantares*).

mensa prius recedunt quam vino et cibo graventur : nec tamen *Beneito* ejusque sodales abeunt quin prius movendorum cachinnorum gratia dixerint ita pulchre paratos esse ad facilius tolerandum legibus Ecclesiæ impositum sibi jejunium.

Ceterum duæ Eclogæ quæ « *Cancionero* » illi anno MCCCCXCVI typis mandato finem imponunt longius a fabulis quæ e fonte sacro fluebant decedunt, altera die natali J. C. anno MCCCCXCIV, altera subsequenti anno, eodem festo die, acta (1). Prior valde nostris pastoralibus fabulis similis est et præcipue notissimo illi « *De Robin et Marion* » joco. Nobis enim occurrit pastor quidam nomine *Mingo* qui, derelicta uxore, Pascualam precibus obsecrat ut et ipsa curis respondeat et in partem amoris quo ipse uritur veniat. Ecce Armiger advenit nihil aliud meditans nisi ut secum puellam abducat. Hunc et fallacem ideoque fugiendum puellæ *Mingo* denuntiat, et quæcumque sit illi daturus censendo exsequitur, scilicet et flosculos et poma et aves et quædam alia ; nequidquam ; puellæ enim armiger potior videtur qui pastoralem vitam agere instituit. Etsi hæc Ecloga non satis digna videtur quæ cum Theocriti Eclogis conferatur, non tamen sapore rustico caret et nonnulla habet quæ naturam et veritatem non clam referre at saltem attingere sæpius videantur. Eædem hæ personæ in sequenti Ecloga quæ ceteras sine dubio antecellit reperiuntur : in priore parte vel, si liceat dicere, in priore actu amicum *Mingo* in ædes ducis a quibus verecundia quadam avertitur *Gil* (2) intrare cogit ut dominis exuvias pecoris, id est libellum in quo Johannis *del Encina* versus continentur, offerat. Tum *Pascuala* et *Mingo* adsunt et

(1) Quanquam anno MCCCCLXXXXVIII Ecgloga « *de las grandes lluvias* » dicta acta est, ea est tamen quæ quasi media inter quatuor priores et duas posteriores ejusdem Cancionero (1498) fabulas haud immerito habeatur. Angelum enim in ea invenimus qui, sacrorum poematorum more, natum esse Salvatorem prædicat ; sed plerumque profana loquentes et rudia pastores audimus.

(2) Qui enin in priore Ecloga armiger tantum vocabatur in posteriore sic appellatur.

postquam hanc locupletem domum admiratione defixi diutius intuiti sunt, « villancico » lepidum in quo Gaudia laudibus extolluntur incipiunt. In altero actu inducitur *Gil* qui uxori persuadet ut vestitus pastorales deponat, et simul ad hanc colendam vitam quæ in ædibus procerum degitur *Mingo* et *Minga* tali invitatos exemplo adducit. Qui fit ut ii omnes sensibus penitus immutentur ? Amor nempe harum mutationum causa fit ; ideoque *Juan del Encina* Rodrigi *de Cota* vestigia sequens et locum ab illo poeta jam tentatum usurpans suis *Mingo* et *Gil* negotium dat ut præclare profiteantur quanta sit Amoris potentia ; ut dulcia immutet amaris, vel amara rursus in dulcia convertat ; ut adducat homines ad sperandum, vel, si aliter placeat, ad desperandum ; denique ut, si ita voluntas amoris ferat, fiat e pastore armiger, e rustica puella matrona. Quamvis Mingo rusticum vivendi genus et dulces rivorum aquas potantibus et somnos in umbra et cum cantu avium decertantes pastorum calamos desiderio et studio prosequatur, impar amori reperitur neque se victum esse abnuit. Itaque « *villancico* » quo dialogus terminatur Amorem eum esse cui nemo obsistere possit pronuntiat, et hominum moderatorem.

Nihil sane interest inter hunc de quo loquimur dialogum et illud spectaculum anno MCCCCXCVII datum cui *Gallardo* nomen imposuit : « *El triunfo de Amor* » (1). In nemore secreto aureis sagittis feras Amori agitanti fit obvius pastor *Pelayo* quem vanas minas jactantem sagitta sternit Cupido. Dum saucius lucum clamoribus implet, ad eum amici *Bras* et *Juanillo* concurrunt ; paulo post devenit Armiger qui, morte pastoris comperta, testatur amorem nulli esse superabilem. Nec deest illi operi lepos ; versus velut incitato cursu procedunt ; illi imprimis quibus, initio operis, Amor solus secum loquitur, volubiles et nitidi fluunt :

« Nullus imprudens audeat suas mecum vires conferre,

(1) Cf. *El Criticon*. Madrid, 1835.

nisis velit secum quotidie pugnare, secum semper discordare. Quis enim contra meam potentiam libertatem suam et voluntatem tueri valeat, quandoquidem arbitrio meo licet seu lædere, seu occidere, seu in vincula injicere » (1). Armiger hæc dicta Amoris comprobat cujus ea est potestas quæ millies nos mori cogat nec ideo mori sinat. Hæc ornatiora forsitan videbuntur, sed simpliciora sunt quæ pastores edunt : omnia vero hæc non sine lepore vel solertia in hoc dialogo immiscentur. Non tamen hoc scenicum opus appellandum potius quam lyricum ; laudibus enim effertur Amor, nec tamen primas partes agit ; personæ autem nihil habent in se quod proprium et peculiare dicere possis. Hæc sunt quæ notanda in illo « *Cancionero* » anno MCCCCXCVI edito præcipue videantur.

Commemoremus igitur breviter quæ legentes vicissim invenerimus. Primum Johannem nostrum vidimus res sacras e sinceris fontibus exhaurientem et simpliciter referentem. In his contra Eclogis quæ, arrepta Bacchanalium occasione, compositæ sunt, illud sermonis rustici et humilia et usu trita nec non sine sapore referentis studium, quod Hispanis innatum insitumque videtur, sese liberius effundit. Paulatim a fabulis sacris recedit dialogus et ad res humanas simpliciter effingendas convertitur, sive pastorali habitu utitur, sive illis personis quas hand immerito ἀλληγορίας appellare possumus. Nec ideo hæ compositiones adhuc ad scenam aptæ videbuntur. Pleraque enim eorum quæ audimus nos cogunt ad Johannis *del Encina* vitam animum deflectere et memoriæ nostræ res a fabula alienissimas suppeditant, ita ut non

(1) « Ninguno tenga osadia
De tomar fuerzas comigo,
Si no quiere estar consigo
Cada dia
En revuelta é en porfia.
Quien podra de mi poder
Defender
Su libertad é alvedrio
Pues puede mi poderio
Herir, matar é prender ? »

suas pastores ipsorum cogitationes verbis reddere sed quæ dicenda illis poeta imposuerit et non suo nomine sed poetæ vice loqui videantur. Denique personæ quæ dialogo intersunt nulla inter se dissimilitudine discreti, eumdem referentes vel cogitandi vel loquendi habitum, ab hac varietate quæ inter homines est abhorrent. Igitur vel in illis dialogis qui tempore *Celestinam* præcurrunt lyricus potius quam scenæ natus poeta *Juan del Encina* videbitur.

Illa necessario erant dicenda priusquam Fernandi nostri colloquium attingamus in quo natura Hispanorum propria — de qua paulo ante diximus — sese liberius patefaciet. Attamen non solum coloribus, ut ita dicam, hispaniensibus *Celestina* illustrabitur ; sed etiam et præsertim, remotis quæ temporum « medii ævi » nuncupatorum propria aut fabularum e religione ortarum peculiaria essent, primum, recentiorum saltem inter theatralia opera, vere et plane tragicum spirabit et expressas e vita et veritate redundantes personas effinget.

LIBER SECUNDUS :

DE CELESTINA.

Caput primum : Quis et quibus e fontibus haustam *Celestinam* composuerit.

Quis *Celestinam* et e quibus fontibus haustam composuerit nunc est declarandum : quod enim nisi dilucidum haberes, alia tibi obscuriora fierent quæ magni sunt ponderis.

In editionibus quæ *Sevillæ* anno millesimo quingentesimo secundo et *Zaragozæ* anno millesimo quingentesimo septimo datæ ceterarum fons et origo haud injuste habentur, *Celestina* dialogorum speciem præbet qui per unum et viginti actus producuntur; primus autem actus longe est copiosissimus. Totum opus epistola præceditur in qua amico cuidam suum auctor secretum consilium declarat. Adolescentes enim hispanos cum adversus malorum ministrorum et malarum feminarum insidias defendere statuisset, forte scriptum ei volumen occurrit quod rerum delicatissime excogitatarum nec non et doctissimæ disciplinæ plenum ei visum est, et ab alteris Johannis *de Mena*, ab alteris vero Rodrigi *de Cota* nomini addictum est. Quod assumpsit, et, ut animum a severiore juris studio diverteret, ei placuit dialogos per quindecim vacuos dies iterum perduci, et, ne in suspicionem operæ in vanis rebus perditæ incideret, ipse quoque quis esset lectores celavit. Sed *Alonzo de Proaza*, librorum litteris mandandorum corrector, dum opus nostrum laudat, nos monet auctoris et nomen et originem in undecim « *Coplas* » contineri quibus iterum affirmat poeta se nihil aliud nisi justa bonaque prædicare voluisse. Prima enim cujusque versus littera secretum declarat ; quibus junctis legimus : « *El bachiller Fernando de Rojas acabó la comedia de Calisto y Melybea e fuè nascido en la puebla de Montalvan*. (Bachellarius *Fernando de Rojas* comœdiam *Calisto y Melibea* confecit et in pago Montalvanensi natus est).

Quis est hic *Fernando de Rojas* ? De eo pauca scimus quæ certa sint. *D. Bartolomé José Gallardo* hæc indagavit in Historia quadam Talaveranæ civitatis quæ in publica et Madrilensi bibliotheca evolvi potest : « *Fernando de Rojas* qui *Celestinam* composuit in Montalvanensi pago natus est, sicut ab eo primis operis versibus dicitur, sed domicilium apud Talaveranos sibi constituit, ibique mortem obiit et in sacra parte monasterii conditus est quod mulieres solæ inhabitant et Sanctissimæ Dei Matri dedicaverunt. Juris ille peritissimus fuit et etiam quosdam annos magistratum apud Salmantinos assecutus est quem qui gerit « *alcalde mayor* » dicitur. Civis vero fuit Talaveranus Talaveranaque in civitate liberos habuit. » (1) Adde quod hic *Celestinæ* auctor idem esse videtur ac ille *Fernando de Rojas* quem post civitatum « *Comunidades de Castilla* » dictarum seditionem Carolus Quintus oblivionis legis beneficio donare noluit. Sed de eo nihil aliud affirmare possumus et præter *Celestinam* nihil aliud scripsit, nihil sane quod ad aures nostras pervenerit.

Quo vero tempore eam composuit ? E tertii Actus loco concludere licet librum paulo post annum MCCCCLXXXXII scriptum fuisse. Dum enim *Sempronio* miratur quam breviter oblivio res vel gravissimas submergat : « Quæ, inquit, miratio te corriperet si tibi nunc terræ motus aut tale aliquid nuntiaretur ? Quod tamen mox de memoria excideret. Sic hi rumores extinguuntur : Frigore rivus riget mortem pater tuus obiit, emissum est fulmen, *Granada*

(1) « Historia de Talavera, antiqua Elbora de los Carpentanos, postuma : escribiola en borrador el Lic. Cosme Gomez de Tejada de los Reyes : Sacola en limpio Fr. Alonso de Ajofrin, profeso del Monasterio de Santa Catalina, orden de San Jeronimo, M. S. in-fol. de 263 fojas : Biblioteca Nacional. V. 184, fol. 256-7 ».

Hæc sunt verba quæ Fernandi *de Rojas* intersunt : « Fernando de Rojas, autor de la Celestina, fabula de Calixto y Melibea, nacio en la Puebla de Montalban, como el lo dice al principio de su libro en unos versos de arte mayor acrosticos; pero hizo asiento en Talavera : aqui vivio y murio, y esta enterrado en la iglesia del convento de monjas de Madre de Dios. Fué abogado docto, y aun hizo algunos años en Salamanca oficio de Alcalde mayor. Naturalizose en esta villa y dejo hijos en ella ».

expugnata est » (1) Nonne contendere possumus hæc eodem fere tempore quo extremum Maurorum præsidium captum est dicta fuisse? Ab adolescente igitur vix scholis egresso *Celestina* composita est ; nec mirum est si animus juvenili quodam ardore elatus, si mens omnibus doctrinis imbuta dicendi impetu et intemperato scientiæ usu in ea declarantur. Nec magis mirum est si *Fernando de Rojas*, cum timeret ne scribenti licentia ei crimini vertererur moræque et impedimento fieret, non semel prædicavit se gravissimam doctrinam jocis suis velasse.

Quin etiam, affirmare non dubito eum, dum vani et mali operis suspicionem fugit, eodem consilio usum esse ac *Cervantes* qui nomine *Cide Hamete Benengeli* proprium texit nomen. Non esse potest quin idem et primum nec ceteros actus scripserit : quam sententiam *Blanco White* (2) defendit et omnia mihi confirmare videntur (3). Etenim mira orationis similitudo lectori apparebit qui ceteris primum actum contulerit. In illo libro qui « *Origenes del Teatro Español* » inscribitur, *Moratin* cum eos nihil inter se sermonis usu differre animadvertat, posterioris partis auctorem non multo prioris scriptore veteriorem fuisse declarat ; sed nec *Juan de Mena*; nec *Rodrigo de Cota* hujus partis de qua ambigitur nullo modo auctores putandi sunt, quippe quorum alter doctrinam jactantiorem et latinum usum affectet, alter autem venustate quadam liquida et molli commendetur ; quæ dotes minime et excogitandi et dicendi modo conveniunt quo *Celestina* illustratur. Præterea his viginti aut triginta annis quibus hi falso crediti auctores a Fernando *de Rojas* separantur loquendi genus apud Castellanos pluribus

(1) « Que tanto te maravillarias si dijesen : la tierra temblo, ù otra semejante cosa, que no la olvidases luego ? Asi como : helado està el rio, el ciego ve ya, muerto es tu padre, un rayo cayo, ganada es Granada...»

(2) Cf. « Variedades o Mensagero de Londres, Periodico trimestro por el Reverendo Joseph Blanco White ». — Tomo I. Londres, Ackermann 1824.

(3) Haud magni existimandum ponderis existimo illum *Alonso Ulloa* qui in editione Venetiæ anno MDLIII vulgata Fernandi *de Rojas* de Johanne *de Mena* aut Rodrigo *de Cota* ficta dubia referre satis habet.

gradibus processit et pæne totum mutatum est. Nihil autem est in primo actu quod antiquitatem redoleat. Quo ceteroquin modo Fernandus noster ignorare potuit uter eum composuerit ? Cui *Alonso de Proaza* ita longe est ut credat ut ejus nomini nullum aliud adjunxerit ; quod sane fecisset si a priore scriptore *Celestinam* adumbratam esse putasset. Totius autem operis res vinculo strictissimo tenentur, personæ semper sibi constant et omnia sic e primo actu pendent ut ab eo solo perfecta esse possint qui, ut ita dicam, arboris illius plantam posuit.

Quin etiam quis crederet Fernandum *de Rojas* primum actum correcturum fuisse si non ipse et eum composuisset ? At in diversis editionibus quæ, ipso vivente, datæ sunt, prior pars eadem ac posteriores libertate emendatur. Ne plura exempla proferam, in editione anno MDI in vulgus emissa (1) hæc verba invenimus : « *ni otro poder mi voluntad humana puede complir* » quæ in posterioribus omittuntur. Nonne ea *Rojas* servavisset si Johannis *de Mena* aut Rodrigi *de Cota* opus tantum persecutus esset ? In eadem editione (MDI) neuter poetarum illorum prologo (« *El Autor a su amigo* ») nominatur : ea solum leguntur : « A quocumque dialogus ille scriptus est, dignus est qui legatur *(por quien quiera que fuesa, es digno de recordable memoria)* ». Postea igitur solum Johannis et Rodrigi illorum nomina Fernandus noster usurpavit ut verisimiliora dicere videretur. Idem denique prologus anno MDI scriptus sic clauditur : « Ut melius quo loco prioris auctoris verba desinant, quo autem ineptiæ meæ incipiant dignoscendum sit, signum est in margine quod litteræ X figuram accipit et primi actus finem designat. Vale » (2). Promissum autem illud signum frustra quæsivi. Quid ergo est rei nisi tunc Fernandum nondum

(1) Quam editionem in publica et Parisiensi bibliotheca inveni et infra describam. — Cf. *lib. sec. cap. tert.*

(2) « Y porque conozcays donde comiençan mis maldoladas razones y acaban las del antiguo autor : en la margen hallareys una cruz : y es el fin de la primera cena. Vale ».

decrevisse quo potissimum loco Menæ aut Cotæ opus finiret, quo proprium inciperet ? Quod quidem anno tantum MDII designavit quando a verbis « *Hermanos mios* » dialogum suum exordium capere prædicavit.

Ceterum tales joci satiricis Hispaniæ scriptoribus non displicebant qui fictis his dictis fidem facere non multum cupiebant nec mendacii suspicionem attentissime fugiebant (1). Idem enim *Rojas* nos monet quindecim actus qui in prima editione ficto Menæ aut Cotæ dialogo adjuncta sunt quindecim diebus confectos esse. Quam velocitatem quis non miraretur ? Sed Rojas, quia quid jurisconsultum deceret respexit, nomen primo celavit quod, postquam opus ab omnibus laudatum vidit, Alonsi *de Proaza* ministerio patefecit. *Celestina* ergo ab uno auctore excogitata et scripta est. — Quo autem animo et modo composita sit nunc inquiramus.

Alii scriptores jam de rebus politicis satiras composuerant quarum notissimæ sunt « *Coplas* » illæ « *de Mingo Revulgo* » ; alii autem, sicut *Juan del Encina*, pastorum sermones et amores fingebant ; *Rojas* vero nebulones, lenas meretricesque producere et lacessere voluit quibuscum interdum juvenilem ætatem Salmantina in civitate degerat. Lyricis ergo poetis proprium et delicatum amorem non depingit quo bellissimus ille « *Dialogo entre el Amor y un viejo* » illustratur ; sed cum cupidines truculentas nec non et res communes familiaresque diduceret, fecunda mente instinctus, mox personas quasi viventes et spirantes ante oculos vidit. Sic qui dialogus futurus esse putabatur mox in verum et dramaticum opus mutabatur quod per actus et scenas descriptum nodo rerum stricto tenebatur et flebiles movebat affectus. Quapropter, ut ipse *Rojas* in « *Prologo* » editionis anno MDII vulgatæ notat, quod comœdiarum modo incipit in tragœdiam desinit, dum personæ factis

(1) Cf, verbi gratia, *Josefinam* illam quæ anno MDXX in scenam producta est. Quia vividis coloribus *Micael de Carvaja l*amorem depinxit talia se ab aliis mutuatum esse prædicat.

suis ad infamiam mortemque adducuntur. Nonne primum actum adeo longum *Rojas* fecisse videtur quia nullum alium, cum ad scribendum aggressus est meditabatur?

Quæ cum prima totius operis forma dici possit, secunda est quæ in prima editione (*Burgos*, MCCCCLXXXXIX) sexdecim ex actibus constat et mihi quidem (de quo penitus disserendi non est hic locus) dramaticam virtutem maxime mereri videtur. Etenim si quædam personarum ratiocinàtiones nec non et partes nonnullæ inutiles supprimerentur, nihil impediret quin *Celestina* in scenam produci posset. Sed cum legentibus potius quam audientibus destinaretur, cum autem videret auctor quo favore exciperetur (1), primo operis consilio nonnulla addere ausus est.

In « *Prologo* » qui in editione anno MDII vulgata legitur *Fernando de Rojas* computat quam diversæ de *Celestina* fuerint legentium sententiæ, aliaque se adscribere declarat quibus non omnino detrectantes reprimat. sed populo satisfaciat novarum rerum semper cupido. Ideo ab anno MDII *Celestina* ex uno et viginti actibus constat nonnullisque scenis ditatur quæ delicatissime hominum animos perscrutantur et vehementi cursu auferuntur; aliis vero corrumpitur quæ persæpe eadem et inutilia iterant, et molliore nodo fabulæ conjunguntur. Quapropter grammatici quidam qui, sicut ceteri, tertiam *Celestinæ* formam tantum legere potuerunt quibusque adnumerandus est *D. Buenaventura Carlos Aribau* (2) eam quasi fictam historiam esse existimaverunt quæ, quamquam in dialogos distributa est, librorum primum exemplar dici potest qui, ignobilium rerum et personarum dum speciem reddere conantur, « *picarescos* » sunt nuncupati. At nos contendimus et alio loco ostendemus *Celestinam* dignam esse non solum quæ tragicomœdiæ nomine ornetur, sed etiam quæ prima apud recentiores Europæ homines dramaticis eminuisse laudibus habeatur.

(1) Quem favorem satis significant editiones quæ Salamancæ (MD) et Sevillæ (MDI) pervulgatæ sunt.

(2) Cf. « Biblioteca de Autores Españoles, tomo III, Madrid, Rivadeneyra, 1849. »

Quibus auxilis ad *Celestinam* componendam *Fernando de Rojas* usus est? Ex confuso, ut ita dicam, acervo rerum antiquarum quas legendo et studendo condiderat haurire poterat. Jamdudum illi qui in Hispania parvo eruditorum in numero reponebantur, seu theologiæ, seu juris periti erant, omnia quæ didicissent ostentare solebant. Quæcumque Dares Phrygius, Dictys Cretensis aut Galterius Castilliomensis congesserant in libros suos deportare non dubitabant, nec antiquis moribus christianorum mores incondite et incongruenter miscere. Alexandri poema quod *Segura* sub fine tertii decimi sæculi scripsit nihil est nisi amentissimi Annales in quibus Vulcanus Hierosolymitarum episcopo occurrit et Oceani fadis Domina Philosophia. Talis farraginis amor per millesimum quadringentesimum sæculum augetur et per millesimum quingentesimum vehementior fit; quem invenias in lyricis epicisque poematibus e quibus hispaniensis « *Romancero* » constat, nec non et in libris equestrium heroum factis deditis solute et licenter florentem et vigentem. Nil ergo mirum si *Fernando de Rojas* æqualium studio cessit, cum præsertim nonnullarum imaginum licentiæ antiquorum philosophorum auctoritatem tot præceptis et argumentis prætendere videretur.

Non eruditionis solum et doctrinæ materiam antiqui suppeditabant, verum etiam exemplaria et componendi genera quæ quidem renovata sunt, non ita tamen ut nihil imitatione exprimendum præbuerint. Nunquam sane doctorum studio apta et theatralia opera in Hispania plebem delectaverunt; semper vero legentes paucos assecuta sunt. Escorialensi, exempli causa, in bibliotheca inventum est scriptum quoddam volumen et circa Johannis II tempus compositum in quo decem Senecæ tragœdiæ e latino in vulgarem sermonem translatæ sunt. Nonnulla quoque ejusdem poetæ excerpta in publica et Madrilensi bibliotheca servantur (1). Nec minore studio antiquas comœdias tunc

(1) Hæc *D. Manuel Cañete* primus designavit. Cf. Teatro Español del Siglo XVI. Madrid, 1885.

evolutas esse testis est *Rojas* ipse qui in *Celestinæ* appendice nos monet se Plautinas ct Terentianas fabulas ante oculos habuisse. Si autem Plauto et Terentio non eadem est mens, non idem dicendi genus, si ille vi comica, hic autem lepidissima personarum specie et rerum varietate præstat, uterque tamen similem comœdiæ forman offerre videtur quam describere haud magni est laboris. In scenam enim vicissim producuntur nunc senes aut faciliores aut severiores, semper vero decepti ; nunc juvenes quibus major est cupiditas quam pudor ; nunc lenones avarissimi ; meretrices denique et præsertim servi subdolosi. Quæ omnes personæ eodem rerum nodo a Plauto liberius, a Terentio solertius implicantur. Semper enim juvenis cupidine flagrat ; obstat senex ; deest pecunia ; tum dolis ridiculis senem ad filii vota explenda servus adducere conatur. Ut infra videbis, Terentianæ fabulæ nonnihil *Fernando de Rojas* in Tragicomœdia sua disponenda retulit, nec Plautinos sales dedignatus est ut famulos et meretrices inter se loquentes induceret.

Equidem non ignoro lenones multos in latina comœdia esse, nullam vero lenam quæ Celestinæ nostræ similis sit ; sed talem jam mulierem elegorum scriptores adumbraverant quos *Rojas* longe abest ut fastidierit. Propertius, verbi gratia, Acanthim quamdam exsecratur quam Celestinæ propemodum avunculam esse dicas.. Nonne veris coloribus expressa est vetula illa, modo ignobilis, modo subtilis et comis, semper vero sitiens et copiosarum cœnarum cupida? Maga quoque est venenisque et carminibus fluentes aquas inhibere et lunæ mandata imponere potest ; corrumpendi vero artem præcipue ea novit quæ sola Hippolitum Veneris servum, Penelopamque Antinoi pellicem fecisset ; timidis et castis mulieribus pretiosas vestes et ornamenta ostentat quibus pudicitia læsa pensatur ; artes docet quibus amicus quasi servus domi retinetur, nec non et juvenibus suadet ut juvenilibus annis utantur et abutantur. Altera in Amoribus (I, 8) Acanthis, Dipsam dico, invenitur ; sed Ovidius qui ingenio suo nimis indulgebat inter carmina et veneficia moratur quibus lena per noctem et umbras evolare, mortuos

evocare, vivos terrere potest ; depravandi tamen artem Dipsa didicit ampliorem et efficaciorem. Quia autem Ovidius his temporibus poetarum Romanorum, excepto Vergilio, notissimus erat, non Amores tantum *Rojas* attentissime legit ; tres quoque Artis Amatoriæ libros evolvit necnon et Remedia Amoris et illa Medicamina faciei quæ falso fortasse ejusdem scriptoris nomini addicuntur. Quasdam ex his fontibus Celestina medicinas hausit quæ ori adhibitæ nitorem inducere et cutis colorem exhilarare dicuntur. Quod vero in ea novum et vividum apparet neque apud Propertium neque apud Ovidium reperiebatur. Nullas enim corrumpendas Acanthis et Dipsa tentant nisi meretrices aut jam illicitis amoribus vitiatas mulieres, nedum ad nobilem et puram puellam depravandam aliquid valeant. Hoc ceteroquin et præcipuum inter eas et Celestinam interest quod illæ turpia velut a natura constituta ingenuo animo proponunt, hæc autem, dum paganis libidinibus christianorum mores et fidem non sine simulatione miscet, vel nitidissima luce exstare atque eminere videtur.

Quibus quasi in seminibus earum rerum vis inerat quæ ex his progenitæ adeo apud Fernandum nostrum floruerunt et viguerunt ? Cum autem nihil sit in quo operæ plurimum ponatur quam in Melibea malis artibus et callidis consiliis involvenda, primam harum machinarum speciem in latina et in millesimo ducentesimo sæculo scripta comœdia vides quæ nunc « *Pamphilus de amore cum Commento familiari* », nunc et aptius « *De Vetula* » inscribitur. Primas enim in ea partes vetula agit cujus auxilio Venus ipsa Pamphilum uti jubet ut pulcherrima et ditissima Galatea et a parentibus in intentiore cura asservata juveni in amore respondeat. Præmiis primum lena tanto majoribus donatur quanto plus sibi laborandum prædicat quippe cui simulata sponsalia impedimento sint ; juveni tamen ne spem simul et largitatem eripiat, dilectam adolescentulam de eo semper loqui affirmat. Nec minus prudenter cum Galatea rem vetula gerit quam puella, postquam eam iracundius respuit, quasi matrem

deinde in occultam domum sequitur in qua ne clandestinis quidem nuptiis læsam pudicitiam reparare potest. Nonne si lenoniis his artibus antiquorum servorum et meretricum dolos et libidines adjeceris, tibi jam, in universum æstimanti, pleraque, ut ita dicam, *Celestinæ* lineamenta videre videberis ? (1)

Quæ omnia denique quo modo hispaniensem speciem induere possint facile est apud notissimum archipresbyterum *de Hita* dignoscere. Eadem enim ac in comœdia *de Vetula* fabula est in illa « *Historia amorosa de D. Melon y de Doña Endrina* (*Coplas* 554-865) quæ, fateor, hanc materiam non tam comœdiarum quam narrationum proprio modo refert. Non sane sine frigore ἀλληγορία excipitur qua Pamphilus fit *Don Melon de la Huerta* et Galatea *Doña Endrina*. Qua vero veritate et subtilitate Hispanorum mores exprimuntur ! Quibus præsertim vividis et lepidis coloribus lena illa depingitur cui haud immerito *Trota-conventos* nomen est utpote quæ non unum monasterium introeat ut amantium mandata exsequatur. Magnas ea mercedes accipere non dubitat quia et utilem nec pudendam artem exercere putat. Juvenibus nonne egregiam dat operam quorum cupidini explendæ toto animo incumbit ? Laudibus ab ea *D. Melon* effertur quibus postea *Calisto* a Celestina ornabitur, nec aliter quam Melibea ad misericordiam primum, deinde ad amorem *d. Endrina* adducitur. Optime igitur de *Rojas* nostro archipresbyterus *de Hita* meruit qui primus novam et magis Hispanorum ingenio accommodatam lenæ imaginem adumbrare potuit. Cujus ceterum liber « *de Cantares* » ita antiquorum doctrinas et christianorum mores jungit, ita

(1) Comœdia « *Pamphilus de Amore* » e latina in gallicam linguam circa annum MCCXXV a *Jean Brasdefer* translata est et « *Pamphile et Galatée* » inscripta. Nonnihil ex ea fructus cepisse *Jean de Meung* videtur. Cum autem gallici poetæ « Vetula » talibus figuratam personam *Bel-Accueil* dictam verbis prosequatur qualibus Celestina Parmenonem, nec non et simulata religione et impudicis sermonibus emineat, magnas a Fernando *de Rojas* gratias repetere posset nisi et ipsa anteriores latinæ comœdiæ debuisset quam solam verisimile est hispanum scriptorem legisse.

proverbiis et fabellis illustratur ut ad *Celestinæ* dicendi genus explanandum et quasi ad fontem reducendum plurimum valeat.

Ad libellum quoque qui vulgo « *El Corvacho* » (1) nuncupatur et a *Fileno* in Johannis *del Encina* Ecloga laudatur te fortasse revocare necesse esset, si omnia quæ apud Rojas nostrum ad eloquendum nonnihil momenti obtinuerint inquirere propositum esset. Dum enim « adversus mulieres quæ non tam doctæ quam improbæ quid deceat nec dicunt nec faciunt » (2) asperas facetias Talaveranus archipresbyterus *Alfonso Martinez de Toledo* destringit, ridicula et festiva narrat quæ jam, ut ita dicam, *Celestinam* subsipiunt (3).

Sed hæc satis. Quo *Rojas* modo tot et tam contrarias res junxerit nunc est enucleandum. Antiquis et hispanis scriptoribus quid ille adjecit ? Alienam materiam qua mente sui juris fecit dum proprio ingenio inservit et vitæ suæ forman reddere conatur ? Qui denique fit ut priorum poetarum vestigia deseruerit, nec sacrarum aut bucolicarum fabularum, sed novi et profani et vere dramatici operis auctor evaserit ?

(1) Hic libellus anno MCCCCXXXVIII scriptus est sed anno solum MCCCCXCIX in Toledanorum civitate typis mandatus.

(2) « *Tractado contra las mujeres que con poco saber mesclado con malicia dicen é facen cosas no aebidas* ».

(3) Cf. Narrationem qua deridetur ille « *caballero viejo que tomo por mujer una mosa* ».

LIBER SECUNDUS.

Caput secundum : QUID AD PERSONAS DESCRIBENDAS *Fernando de Rojas* NOVI ADHIBUERIT.

Celestinam qui leviter et cursim legerit fortasse quid in ea ex antiquis fontibus haustum appareat præsertim videbit et notabit. Multos enim græcos et latinos scriptores *Fernando de Rojas* evolvit a quibus exempla et argumenta infinita mutuatus est. Quid mirum ? Vitam cum scholasticis degit qui tum quasi soli in libris versabantur et longe erant ut a nimia eruditione abhorrerent. Nonne eorum studiis indulget *Sempronio* philosophi verbum miro modo memorans : « Ut materia appetit formam, sic mulier virum ? » Si ministri etiam Aristotelis haud ignari sunt, quid de dominis dicam ? Sæpe sæpiusque, ut antiqui poetæ aut oratoris patrocinium requirant, Ovidii ant Apuleii sententiolis, Vergiliique aut Ciceronis locis incongruenter adhibitis, flebilia et facta et dicta deformant et corrumpunt. Ne multa, quæ non sine fastidio essent, referam, Pleberii querelas proferre satis habebo quæ tanta nos afficerent misericordia si tot et tam supervacuis exemplis non vitiarentur : « Pauli Æmilii constatia, exclamat pater ille unica filia orbatus, non mihi solatio esse potest. Si sex diebus duorum filiorum funeribus non turbatus est, sed in liberorum exsequiis populum Romanum ipse consolari potuit, alii tamen ei duo filii supervivebant, adoptione aliæ gentis participes. Magnanimus ille Xenophon... » At certe non indignaberis si te cura liberavero omnes legendi quorum luctus cum suo conferendos non esse *Pleberio* prædicat. Magis etiam offensionis habent res paganæ quæ christianis vana eruditionis ostentatione miscentur. Calistine formam Celestina describere cupit ? Non ei ut illam exemplis explanet, nobilis Alexander, strenuus Hector, pulcher Narcissus jucundusque cantor Orpheus sufficere possunt, sed sanctum quoque Georgium ejusque equum in testimonium vocare necesse putat. Quid

quod tristis Pluto quem lena incantamentis obsecrat non multum a Lucifero differt quippe qui trium Furiarum princeps et damnatorum angelorum imperator vicissim denominetur ?

Non eruditione tantum *Celestina* antiquitatem redolere videtur. Nonne, in universum æstimanti, *Fernando de Rojas* in personis fingendis Plauti et Terentii vestigia sequitur? Quas enim induxit ? Ministri primum apparent qui, si non antiquam servitutem serviant, non aliter quam Davus quidam aut Syrus nec minus astuti sunt. Quorum dominus *Calisto* non magis amori pronus est quam Terentiani Æschines et Ctesiphon. Quid de Elicia et Areusa aut de Celestina dicas nisi illas latinarum meretricum imaginem referre, hanc autem a Propertii ant Ovidii lena haud multum dissentire? Fabulam etiam in qua aliæ aliis obveniunt nonne tibi jam, dum in scholis sedes, legisse videris? Melibea, fateor, non ea est quæ pretio venalis esse possit; ea tamen est quæ corpore non quæstum sed donum faciat, nec tantopere a servientibus puellis differt quæ postremo apud Plautum aut Terentium ingenuæ reperiuntur. Si quidem, ut senes qui Romanæ caveæ cachinnos movebant, Calisti pater non decipitur quia jam e vita discessit, tristes ejus partes et tristiores etiam Melibeæ parentes, *Pleberio* et *Alisa* agunt. Cum denique, quamquam non tam servorum doli quam lenæ artificia clariore luce apparent, de juvene semper agatur qui, ut puellæ amore fruatur, ignobilia ministeria adhibet, quid ex his apparet nisi et in personis figurandis et in fabula explicanda ab antiquæ comœdiæ poetis et formam et materiam *Rojas* nostrum mutuatum esse?

Quod si tibi persuasum haberes longe abesses ut quæ sit Tragicomœdia *de Calisto y Melibea*, et cujus momenti, exacto et dilucido modo intelligeres. Ad enim Plauti et Terentii memoriam in tuum revocandum animum, mihi quæ antiquitatem redolerent subtiliter dispiciendi opus fuit et etiam dicendo amplificandi. Si contra verius dijudicare propositum habueris, confusa primum et permixta Fernandi *de Rojas* eruditio tibi erit prætermittenda quæ nullum ad

fructum perveniret nisi quæ tunc in Salmantinis scholis florerent tibi essent curæ. Haud tamen frustra tot exempla et argumenta ex antiquorum libris eruta sunt et congesta, quippe quæ primum aliquid edisserendi artem Hispanos docere valuerint, posteaque eadem mira diversitate usque apud « aureæ » ætatis dramaticos poetas non mediocrem habuerint locum. Quæ vero e Græcis aut latinis fontibus *Rojas* hausit longe sunt ut vividis et recentibus aquis comparari possint quæ e suo tantum et proprio rivo effluxerunt. Cui sententiæ non adversabere postquam quid novi in personis fingendis *Celestina* attulerit attente inquisiveris.

Non equidem ignoro amore flagrantes et omnis impatientes auctoritatis juvenes magno sæpe cum lepore a Terentio expressos esse; sed multo magis variis et, quamvis, ut ita dicam, hispaniensiores interdum appareant, magis tamen hominum omnium et præsertim recentiorum studio accommodatis coloribus Calistum depinctum esse fateberis si prius quo ille modo amorem susceperit et ipse per gradus concitaverit percipere volueris. Postquam in Pleberii hortum ad evolatum falconem recuperandum *Calisto* intravit, Melibeæ obvenit cujus forma se subito allectum et sentit et dicit. Cum autem a puella, quæ dignitatem et pudicitiam diligentissima cura tuetur, non sine ira et opprobrio respuatur, mœrore conficitur et domum regressus amorem vanis querelis adauget. Cui famulus *Sempronio* vix astutissimæ lenæ auxilium proposuit, et jam ille Celestinam adesse cupit nec flocci facit quid sibi de bonis aut etiam de honore vetula detractura sit. Quid apud eum Parmenonis argumenta valeant cujus nihil nisi ipsa cupido interest, nec qui cœnam, sed equum parari jubet ut ante Melibeæ domum iterum transire possit ?

Sic in amando ardorem juvenes inconsultius sequuntur cæcique et præcipites feruntur. Quo autem modo sese ipsi decipiant et magis magisque, dum amore pascuntur, et sui impotentes fiant et dilectæ puellæ ignari quam novis et fictis virtutibus exornant, quis melius quam *Calisto* te

docere possit ? Quia enim cupidini et dolori suo in somno etiam inservire non desinit, semel tantum visam infinitis *Melibeam* laudibus prosequitur, nec Celestinæ loquendi facultatem facit ; adeo omnia audiendi avidus ut ne prima quidem verba continuandi moram tolerare valeat. Ea tamen quæ lena de suo cum Alisæ filia colloquio referre conatur immoderatam ei spem et terrorem vicissim injiciunt. Amore enim agitatus nec bonis credere nuntiis audet nec malis vult summam adhibere fidem. Modum sane, Hispanorum more, *Calisto* excedit, non ita tamen ut vere amantium exemplar haberi non possit qui ardore flagrantes hispaniensia somnia somniare semper dicti sunt et dicentur.

Quorum quoque simillimam imaginem præ se fert, dum omnia indignatur quæ cupidini suæ moræ sunt atque impedimento. Postquam, interfecta Celestina, carnificis manibus *Sempronio* et *Parmeno* perierunt, honorem suum *Calisto* et amorem læsum esse dolet ut qui famulorum pœnis aliquid decoris sibi avulsum esse sentiat et aliorum ministerio egeat qui ad Melibeam faciliorem præbeant viam. Parum vero apud juvenem in libidinem effusum vel justissimi scrupuli et delictorum conscientia valent. Mox Celestinam haud immerito occisam esse *Calisto* existimat nec suimet ipse memor est qui vetulæ auxilium ad vitiandam puellam arcessere non dubitavit. Nihil jam ei curæ est nisi quo postea modo Sosiæ et Tristani Parmenonis et Sempronii locum daturus sit ut securiorem consequatur lætitiam. Frustra ei Melibeam nefariis artibus stupratam objiceres ; cujus deliciis cum fruitus sit, nonne eum Deus ipse maximo illo donavit præmio ? Quo ceterum quid amore suo non solum pretiosius, sed etiam sanctius inveniret ? Captiosa igitur adhibet argumenta ut omnem excutiat tristitiam et cupidini quasi soli et unico officio satisfaciat. Quid multa ? Cum hæc ante annum millesimum quingentesimum scripta sint, nonne te ea ad magnam traducunt admirationem quippe quæ qua in amando ratione se juvenes gererent nec verius tum nec acutius exprimere valerent ?

Ita fit ut *Calisto* juvenum quos recentiores et dramatici poetæ amore ardentes sæpe sæpiusque effinxerunt haud immerito primus haberi possit. Quem si humana semper sentientem videbis non semel tamen verbis et sententiis utentem audies quæ, ut ita dicam, Hispaniam redolent nec quibus *Lope de Vega* ejusque discipuli repugnaturi sunt. Etenim multa sunt, dum loquitur, quæ e solito modo egredi aut simplicitatem excedere videntur. Nonne usque ad vitium grandiloquas laudes esse jure existimabis quibus Melibeam quasi deam extollit cujus ori nihil nisi solem ipsum conferri posse prædicat ? Elaboratos jam dicendi circuitus adhibet quibus intemperantius indulgere personæ illius a dramaticis poetis « *galan* » nominatæ proprium et naturale apud Hispanos semper habebitur. Calisti, verbi gratia, oculi non ad videndum, velut tui, tantum accommodantur ut qui quasi foramina pateant in quibus clavem somnus immittit, et postium quoque, si data est occasio, locum obtineant quos vicissim irrumpunt cupidinis vulnera et remedia. Infelicem, si quidem vera *Calisto* diceret, Melibeam ! Aheneo pectore prædita esset nec ei virum quemvis intueri aut oratione prosequi permitteretur nisi ut sagittas simul conjiceret et plagas infligeret. Hæc non tam venusta quam falsa et sanitate orbata per totam Europam quasi sermonis morbus evagata sunt ; sed nusquam sibi magis quam in Hispania præparatam terram et certum domicilium consecuta sunt.

Quæ cum interdum Melibea quoque adhibeat se ejudem ac *Calisto* gentis esse aperte profitetur. Longe tamen abest ut simplicem sentiendi modum sæpe supergrediatur ; ingenuam contra sui imaginem plerumque reddit. Nimia fortasse et Hispanæ propria ira accenditur dum Celestinæ dictis decorem suum læsum esse putat ; uno tantum argumento, id est ne verbo quidem decus suum tentatum esse fateatur, impediri potest quin vetulam propriis interficiat manibus. Non ea est tamen quæ, quamvis jam acuto prædita sit ingenio, Celestinæ fictis et humilibus causis et precibus

resistere valeat. Quo enim modo candida et optima puella lenæ pravitatem et astutiam suspicaretur ? Mox igitur iræ eam pœnitet et pulcherrimi miseret juvenis occulto morbo morientis. Nonne mulierum animos plane Celestina novit quæ misericordia præsertim ad amorem adducuntur ? Non funiculum modo sacris reliquiis admotum et ita quasi remedium factum Calisto Melibea commodandum patitur, sed etiam vetulæ sanctam et doloribus medentem precem se postero die daturam pollicetur. Heus ! rectam puella viam reliquit cui nunc multis argumentis opus est ut sibi nullo Celestinam fuisse detrimento persuadeat. Dum ad miserationem solam allici existimat, funestus amor in imprudenti pectore sese insinuavit et sensim invaluit.

Majores autem morbus ille qui non minus angoribus quam gaudiis pascitur, majores semper radices mittit multosque puellæ et diversos dolores injicit. Quæ cum vicissim nescio quid optet et metuat, concitatos cordis motus perferre non potest et a Celestina petit quæ causa sit cur tam turbatam et inquietam vivat vitam. Audito repente ægritudinis suæ et nomine et remedio, primum animo deficitur quem mox recipit, sed omnibus viribus nudatum et Calisti desiderio oppressum. Cupidini posthac tanto magis Melibea inservit quanto plus ab ea prius abstinuit. Toto enim pectore in amorem ruit qui nisi morte exstingui potest ut qui puellæ et sola culpæ causa et quasi novum decus appareat ; nec ullam postremo moram interponit quin, defuncto Calisto, cum dilecto juvene si non vitæ, at saltem mortis unam et semper eamdem societatem coeat.

Non solum veram et exquisitam puellæ speciem Melibea præ se fert, sed et dramaticam, cui optimos et vividissimos eriperes colores si eam a Calisti imagine secerneres et detraheres. Quid enim diversi in amando uterque sexus præbeat, qua varia tempestate virilis aut feminea cupido ardeat et æstuet subtiliter in *Celestina* expressum esse fateberis si quo *Fernando de Rojas* modo amantes juvenes inter se loquentes ter effinxerit legere et meditari volueris. Quam

lepidis et ingenuis verbis Calisti cupiditas et Melibeæ amor primum depinguntur ! Per mediam noctem et e ferreis portæ cancellis prospectans juvenem puella orat ne incepto permaneat et famæ adhuc intactæ injuriam injiciat. Quem cum excruciatum et nullo nisi moriendi consilio contentum videt ita misericordia commovetur ut animi secreta celare non possit et, exsultante Calisto, quasi ebria et ipsa fiat. Juvenem tamen moratur qui portam frangere conatur et eum dulcissima solatione solatur ut quæ se et suos et ejus dolores pati profiteatur et se postera nocte visendam offerat

Quæ sic ingenuo animo pollicetur, et alia quidem quorum rationem haud habet, Calistum Melibea impedire non valet quin accipiat aut eripiat. Pleberii enim in hortum per tenebras vix juvenis irrupit, et dilecto amplexu non prius avellitur quam omnia et validissima pudoris vincula exsolverit. Culpam insanabilem et tantum genti dedecus admissum Melibea primum lamentatur ; sed, nullo remedio viso, in amorem deinde ruit et in ultimo cum Calisto colloquio non ab eo per occasionem rapitur sed sese ipsa ei libenter tradit. « Tune hic es, exclamat illa quam prius canentem *Calisto* latenter audierat et nunc habet amplexam, tune hic es, anima ipsa et corculum meum ? Ubi absconsus eras, lucidissime sol ?... Cur me rauca et absurda mea instar cycni voce frustra aerem verberare passus es ? Totus hic hortus noster adventu tuo nova lætitia inducitur. Vide lunam inter innumerabilia sidera prolucentem. Nonne suaviorem lucem cœlum exserere videtur ? Vide nubes quam rapide per cœlestia spatia diffugere properant : audi hanc aquam longe suaviore nunc murmure per viridarium hoc florescentium herbarum de fonte decurrentem. Ventus etiam compositissimus summa temperie omnia permulcet et quasi voces mutuas foliorum hinc inde perferre propositum habet. Placidissimæ sunt arborum umbræ et obscuritates suas condensare conantur ut furtivis nostris voluptatibus gratissimum inducant tegmen... Quid vis cantitare me, Amasium meum ? Desiderium tuum vocem meam incitabat et ejus

sonum regebat qui, dum tuis mei oculi pascuntur, ad tempus evanuit. Quæ mollia et dulcissima quamvis in licentiora et turpia desinant, prima tamen haberi possunt quibus duo juvenes, cui rerum natura obscuritate et nescio quo fascinante et ineffabili lenocinio favere videtur, amantes et nihil nisi amorem respicientes suavissimis depingantur coloribus. Talibus sæpe scenis et *Shakespeare* et recentiores poetæ varia fortuna utentur, sed *Celestinæ*, etsi nullas gratias plerumque debebunt, pulcherrimam haud eripient laudem.

Nec minus personæ quæ in theatro humili loco natos referunt, quanquam a poetis antiquioribus proficiscuntur, speciem quamdam habent aliqua parte novam in qua proprius Hispaniæ et vernaculus sapor deprehendi facile potest. Quod clare elucebit si inter se Pyrgopolinicem illum Plautinum militem et Centurionem contuleris. Habent certe permulta inter se communia et imprimis illam vaniloquentiam qua, cum de se ipsis loquuntur, utuntur; sed vel in hac parte *Centurio* præstare videtur et jactantioribus adhuc verbis uti, ut decet hominem in Hispania versatum ubi semper res dicendo augentur, ubi nihil vel dici vel scribi potest quin elatum et tumidum fiat, ubi demum nemo est qui non, lege quadam naturæ, vel in vulgari sermone ampulletur. Jam enim in « *Romancero* » sese gloriari immodicis laudationibus solent quippe qui non dubitent hæc et talia dicere : « satis esse decem Hispanos ad profligandos mille homines », vel : « si centum et viginti Hispani cædantur quindecim millia Maurorum necesse esse ». Hoc dicendi genus adeo innatum insitumque apud Hispanos est ut Galli verbum novum et quasi hispaniense ad gloriosos illos milites significandos excogitaverint quos vulgo « *Matamores* » dicunt. *Centurio* igitur noster nil nisi brachia fracta et membra rupta crepat ; ensi, si egregie facta enarrare possit, nunquam tempus affatim fore ; se baculo sæpe uti ut cesset aliquando ensis ; per se ipsum impleri sepulchra quia facilius sit soli cursum suum

intermitttere quam sibi non occidere quem attigerit. Sed ut verbis et prædicatione fretus eum fortissimum putes, ita re vera ignavum reperias. Coactus enim ab amica sua Areusa ut pœnas ob interemptum Parmenonem a Calisto repetat se repetiturum promittit nec promissis stat et alienum nescio quem qui tumultum edat vice sua mittit. His igitur omnibus, seu grandia dicit, seu ab agendis de quibus magnifice prædicat facinoribus abstinet, cum merum militis gloriosi filium se denuntiat, tum non minus manifesto ostendit se Hispanis aptissimam esse personam et horum populorum indoli maxime consentaneam. Nempe advectus Romam e Græciæ vel potius Asiæ regionibus miles-gloriosus fuit ; Romani enim ab illa deridicula magnifice loquendi ratione multum abhorrebant ; Hispani autem hanc, quamvis haud impares Romanis fortitudine videantur, semper coluere, ita ut jure dicere possimus potius e fonte hispanensi quam Romano in nostrum theatrum hos milites diutius universo populi plausu exceptos erupisse.

Sed multo frequentior eorum famulorum proles qui apud Celestinam et Chrysalorum et Syrorum partem agunt. Nec tantum comœdiæ intersunt ut salibus ne Siculis quidem, nedum Atticis, spectatores detineant vel fabulam per ambages facete excogitatas morentur et rursus ad exitum festinent. Non valde ab iis officiis remoti, si quidem et rusticis opprobriis sæpissime uti et fabulæ immisceri ut prius solent, ad novam tamen industriam facilem animum nec non magnarum rerum cupidum intendunt ; e Romanis Hispani fiunt et qui servi fuerunt nunc ministri, ut qui penitus immutentur, appellandi sunt. Longe enim a priore habitu recedunt ; e servitio exisse non contenti, ut heris similes fiant aut saltem videantur esse, omni industria nituntur. Si eos cucullo satis mundo donaveris, extemplo cum induunt et cum superbia (eos nobiles esse credas) in publicum procedunt. Si expertes sint periculi, eos fortitudinis suæ ostentatores reperias ; si ingruat periculum, socordes extemplo facti. Et ipsi amabunt — ut dominis

perquam similes videantur — et amicam blanda voce salutare et verbis magnifice sonantibus amorem suum profiteri solebunt ; supra conditionem ingenio suo subtili et cui nihil nefas sit sese extollent paulatim donec vel fortunis vel vitæ ornamentis inter primores evadant.

Hæc mutatio, digna quam intueamur, plures habet, ut ita dicam, gradus quos lepide *Celestina* ipsa describit. Qui iter incipiunt, juvenili quodam errore decepti (ita enim sunt *Sosia* et *Tristanico*), confidunt hero, et vel honorem vel vitam ejus curis diligentissimis prosequuntur, nec dubitant, adeo ei libere et simpliciter inserviunt, si in periculo versetur ille, in societatem periculi venire, etsi necesse fieri possit vitam domino impendere. Sed ut ætate maturior fit famulus ita minus domini studiosus ut qui eum intellexerit suimet ipsius diligentem tantum esse, nec fidelem famulum ut deceret curare ; cumque sæpius de domino famulus optime meruerit nec præmium pro tot et tantis meritis retulerit satis amplum, ad alias cogitationes convertit animum nec audet adhuc quæ secum cogitaverit contra dominum factis exsequi. Non tamen jam *Tristanico* est ; fit enim *Parmeno*. Si lena quædam aliquid insidiarum contra dominum moliatur et famulum hortetur ut earum machinarum particeps fiat, dummodo adjiciat promissa quibus animum famuli deleniat, non diutius ille adversabitur, et, omissa si qua permanserat adhuc in animo fide, ad prodendum herum suum, adhortante vel quæstus vel cupidinis spe, decurret. Nec satis ; suam pristinam fidem ut insulsam et valde contemnendam irridebit et se proditorem domini arrogantibus sane verbis profitebitur. Ante oculos tum Sempronium habemus. Quod restat, operam dabit ut minister sit domini voluptatum et illi in libidines se invehenti lenocinetur. Quidquid enim delirat dominus lucro famulus apponit. Nec tamen a proposito abhorrebit si quando, mutata in speciem agendi ratione, ut sese contineat neque totum se amatoriæ voluptati dedat herum adhortatur ; pariter enim cautus et sibi solum consulens, seu assentatur, seu increpat, domi-

num munificum sæpissime experitur et sibi gratulantem quod fidelissimum ministrum habeat. Interea propriis amoribus indulget optimus noster famulus, et quæsitis attentus a sumptibus quos secum ferre solet amatoria libido lepide avertitur, et integros in loculis nummos habet, ut senior factus omnia ad bene beateque vivendum necessaria affatim suppetant. Si opus est, non dedignatur noster cum lena quadam societatem instituere et ex illa quæstum ampliorem ducere. Si vero, ut fit sæpissime quoties de quæstu cum illo genere feminarum agitur, sibi rapere plus quam deceat anus rapax tentat, non is est noster homo qui libenter aliquid sibi detrahi patiatur : jus suum repetit fidemque datam obtestatur. Evenit sæpe ut lena ad suetam artem decurrat et, retinendæ pecuniæ, de qua rixatur, causa, meretricis corpus ad libita famuli submittendum promittat ; abnuit vero famulus noster et dentibus infrendens machæram e vagina eripit nec, nisi redditis nummis, dubitabit lenam interficere ; qua interfecta fieri potest ut ille in crucem tollatur, si mala avi natus est ; si vero fausto hoc egerit facinus omine, jam illi omnia plana erunt et fortunæ filius jure perhibebitur.

Illi famuli industriosi simul et solertes et quibus nihil sancti erat, cum in Italiam devecti fuissent, solertiores dolorum et comicarum machinarum artifices paulo post facti sunt, saporemque rusticum quem apud Hispanos habuerant exuere. Mox in Galliam penetravere, ibique sub variis seu Scapini sen Mascarilli nominibus præclaras vel potius primas partes, in his comœdiis quas exemplaria Italorum secuti nostri poetæ ediderunt, obtinuere. Attamen vera eorum proles intra fines Hispaniæ permansit non solum in fabulis ad scenam accommodatis, sed etiam in his ubi legentibus seu ignobilium, seu nequam hominum facta narrantur ; in his enim longis narrationibus propriam indolem ostentabunt famuli fientque simul socordes et superbi, sese supra pristinam et humilem conditionem attollere conabuntur, resque bene cedet quia subtilitate ingenii freti

nil nisi suas utilitates curabunt. Ex illa prosapia evadunt illi apud populum notissimi quibus inclytum nomen *Gil Blas* et *Figaro* indictum est. Ad *Celestinam* igitur, si quis veram originem illorum recentiorum famulorum simulque mutationum quas memoravimus initium deprehendere velit, respicere necesse est.

Quin etiam in eadem Tragicomœdia inventum est illud sermonis genus maxime his novis personis consentaneum. Plautina quædam sane vocabula, ut æquum est, usurpant, sed, cum locutioni suæ multa popularia verba et figuras rudes quibus plebecula uti solet immisceant, aliquid novi et Hispaniense sonans afferunt. Cum *Parmeno* dominum suum adhortaturut amori suo indulgeat, nunquam intermittit quin secum dicat hanc usu populari tritam sententiam : « esse in aqua turbida locum piscatoribus unde multos pisces capiant ». Nec solum illa proverbia in sermone famulorum invenies sed etiam illos rusticos sales quibus inter sese agricolæ uti solent. Nec multa referam exempla necesse videtur ; unum et alterum retulisse sat erit. Si quis paupertatem servi jumentis curandis dediti deridere vult, hunc dicit nil nisi strigilis pulverem possidere. Si quis autem quemdam amore insanientem depingere in animo habet, hanc dicendi rationem ex usu populari expressam inveniet : « Si lancea illius amantis trajiceretur talus, cerebrum e talo potius quam e capite effunderetur ». Subtiliore sane, sed ejusdem generis sermone famuli utentur qui in nostris florebunt comœdiis.

Nec aliter loquuntur Elicia et Areusa quæ in *Celestina* antiquitatis meretricum locum tenent ; verbis enim et vocibus plebem ex qua ortæ sunt redolent. Una in re tamen longe ab antiquis meretricibus recedunt quod ab amantibus se negligi vel aliam sibi præferri non patiuntur. Etenim si amator ad aliam quamdam animum deverterit offensionem sibi fieri ducunt, nedum hanc rem ut solitam minimi pretii putent ; et pœnas extemplo, ut decet Hispanas, a proditore quam gravissimas repetere in animo habent,

quia et ipsis est aliqua honoris cura quem, cum æque ac matronæ superbiant, lædi haud facile sinunt. Eæ enim sunt quibus rationem vitæ ut corpus ex corpore alant susceptam non libenter exprobrabis cum reputaveris eas hoc vivendi genus quadam ingenita superbia deceptas amplexas esse ne servilibus officiis fungerentur, neve superba dominæ fastidia ferrent : liberam neque alicujus arbitrio subditam degere vitam voluerunt, et quoniam nullo alio, hoc saltem quo poterant modo, hanc pretiosam libertatem sibi vindicaverunt. Alioqui neque avaritiæ admodum, sicut Plautinæ meretrices, deditæ videntur neque præmiis solum animum intendunt, sed, quod neque aspernandum in illis est, si amore alicujus immorantur, non spe quæstus sed amandi tantum voluptate detinentur ; si sæpius corpus suum emendum et blanditias venales, ut fert quod sequuntur vivendi genus, præbent, aliquando et ipsæ ex arca sumunt unde egenti amatori suppeditent, vel ad pauperiem, sicut Areusa a Centurione, ab amatore suo adduci patiuntur. Sunt denique nonnullæ quæ cum vere et toto pectore amaverint amatorem mortuum, ut Sempronium Elicia, brevi luctu prosequantur. Omnes vero illæ meretrices per gradus procedunt quos ingeniose *Fernando de Rojas* notavit. Areusæ enim modo vitam instituentes primum amorem lædere dubitant nec quidquid in se verecundi habeant abjiciunt ; mox aut honestarum vel utilium rerum omnino incuriosæ factæ in libidinem effunduntur, aut nullius, si ferat æra, amatoris fastidio affectæ nummos sedulo in loculum demittunt unde ætate graves senectutem suam alent. Ad summum, sive utilitates, sive amandi voluptatem sequuntur, prolem frequentem habuerunt quippe quibus, ne plures dicam, sive *Fenisa* apud Hispanos, sive *Manon* apud Gallos ut natæ assignari posse videantur.

Ex eadem sobole exoritur Celestina quæ ingenio subtili et industria perdocta supra ceteras exstat et eminet. Non nihil quidem in ea reperias quod tibi ex antiquis fontibus haustum videatur. Non enim ea vel aliter vel minus quam

vetula *Cistellariæ* meretrix aut Plautini Terentianique lenones avidissimam se gerit ; aurum tantum spectat, nec quæ manus aurum adferat, nec qui fiant imprudentes omni ab ea re familiari exuti ; nulla misericordia commovetur januamque habet oranti surdam, ferenti patentem. Multa autem cum sibi deposcat, pauca famulis permittit quos dolorum adjutores adhibuit, nec tantum ad vitam quantum ad avaritiam sustinendam toto animo incumbit. Suam vero auri famem ut expleat machinis et incantamentis utitur in quibus Acanthis et Dipsa apud Propertium et Ovidium versabantur, nec non et ipsa eadem superstitione obligatur. Magas enim artes æaque carmina novit nec unquam periculosam rem aggreditur quin Plutonem evocet aut auguria habeat. Quæ vero omnia quæ antiquitatem redolent novis coloribus a Fernando nostro illustrantur. Suum Celestina vivendi genus haud invenit sed proprio modo exercet nec a Parmenone « *Trota-conventos* » immerito vocatur. Hispanorum enim, ut vetula illa quam ab archipresbytero *de Hita* jam inductam vidimus, moribus et studiis artem suam ita accommodavit ut eam haud parvi faciendam prædicet. Nonne ad molestis doloribus agitatos homines levandos et delectandos omnes nervos intendit? Quo quis munere utiliore et humaniore fungitur? Quis clientium patrocinium callidius et felicius usurpat ? Ut ad optimum oratorem rei, sic ad Celestinam amantes decurrunt. Quibus cum fideliter nec sine suo interdum periculo inserviat, quid quis ei objiciat ? Tranquilla ergo et quieta ecclesias ingreditur et preces mussitat, nec ab æternæ salutis spe animum removet utpote quæ hominum nequitiam sæpissime experta sit, Deo autem sine ulla intermissione diligentissimum cultum adhibuerit.

Hæc est causa cur Celestinæ nihil obstitit quin astutissima et solertissima lenarum fieret. Diversas enim amantium dementias subtiliter perspexit ut melius ex illis diversa ratione tractatis lucrum faceret. Eine clientes obveniunt qui corporis tantum desiderio impelluntur ? Magnam illa dat

operam ne illorum ardorem simul et liberalitatem extemplo exstinguat. Chirurgos contra in exemplum assumit qui primum vulnera atrocissima videri affirmant et remediis quam lenissime utuntur. Juvenisne autem ad eam decurrit omnis moræ impatiens et obstaculis « velut taurus calcaribus » effrenus et ferox ? Cavet Celestina ne sæpe repulsus amor relentescat, et perniciosæ febris impetum quam citissime discutere conatur ut eam lætitiæ impotens juvenis subitis nec computatis præmiis ornet. Sic, variis semper machinis intermixtis, dum cupiditatem illa suam semper profert nec unquam ostentat, maximam sibi fidem facit et ad viros quæstui habendos quam plurimum valet. Nec minorem ad mulieres sibi conciliandas solertiam adhibet. Semper enim se offert quo usus operæ sit, et sexcentis mulieres beneficiis afficit quæ viris minima videntur, eis vero maxima æstimantur. Nonne multas medicinas novit quæ, cum egregium corpori colorem suppeditent, quam pretiosissimæ habendæ sunt ? Vix autem domum ingreditur, et jam sibi fidem ita facit ut ei mox occulta credantur. Nec eam percellunt quæ ceteris formidinem injicerent, nedum matronas vel nobiles puellas tentare dubitet quas sæpe quo primum arrogantiores, eo deinde humiliores sensit. Quæ ceterum mulier lenæ illi resistat quæ mulierum pectus quasi apertum videt ? Quid enim in eis imbecillum sit nec Celestina ignorat et id subtiliter tractat, sive eas pecunia vel voluptate, sive misericordia oppugnat.

Ita fit ut omnium hominum naturas perscrutata nullum, si data est occasio, depravandum recuset. Quibus primum artificiis Parmenonem circumvenit qui imprudentem Calistum tueri conatur ! Qua simulata comitate famulo suadet ut ab ingrato domino deficiat, suis autem commodis inserviat ! Quam denique in ejus animo libidinem movet ut eum Areusæ possidendæ spe totum suum faciat ! Quo *Parmeno* modo vetulæ diutius obsisteret quæ quondam in familiaritatem matris penitus intravit et nunc amicæ Claudinæ filium sincero amore prosequi profitetur ? Celestina quod

Parmenoni promiserat præmium, nulla interposita mora, exsolvit, Areusamque ut vitam deliciis et voluptatibus dedat impellit, nec eam suo primo amatore contentam esse sinit. Has enim corruptelas adhibet quibus posteriorum ætatum lenæ Celestinæ vestigia sequentes utentur; earum vero nulla huic nostræ se æquiparare potest. Quæ enim possunt esse adhortationes impuriores, quæ lenocinandi ars solertior ? Quæ aptior ad pudorem funditus exstinguendum ? Si Celestinam cum Areusa colloquentem audire vacat, hæc audiamus : muliebrem formam eam esse quæ inutilis fiat nisi multis communicetur ; nihil esse causæ cur hominibus denegentur deliciæ cum nihil mulieribus sit damnosum, quod petant homines, quam plurimis largiri ; hanc tantum sectari artem oportere, scilicet ut quisque sibi soli credat dari quod quam plurimis tribuatur. Non igitur mirum si Areusa his monitis valde proficit et perfecta meretrix evadit.

Quid vero ars sua valeat imprimis cum Melibeam aggreditur Celestina ostendit. Res est enim magni momenti nec periculi expers ; nobilem et castam puellam apud parentes ipsos e pudicitia avertere Celestina statuit. Fili vendendi causa domum virginis intrat et solam Melibeam offendit ; dum ante virginis oculos mercem vendendam exponit, ut sibi Melibeam conciliet de senectute sua præfatur, dein laudationes in eam congerit et postquam eam sui studiosam fecerit, se ipsam quæ sit nondum aperiens, verbis virtutem assimulantibus et vultu in modestiam composito non sine ambagibus pronuntiat se operam dare ut bonis, quantum plurimum possit, operam ferat ; se paratam semper esse ut temporibus bonorum adsit et amicis laborantibus succurrat ; inter amicos tandem honestum quemdam juvenem habere cui opem vel maximam Melibea ferre possit. Virgine autem quid sibi illa obscura vocabula velint demirante, addit Celestina nihil magis a religione imperari, nihil Deo gratius esse quam si de aliis bene mereamur ; tum demum de Calisto agi dicit. Indignante autem Melibea se haudquaquam

turbatam ostendit et quasi innocentiæ conscia exspectare videtur tranquillo vultu dum tempestas sedata sit. Cum ira virginis conquievit, falsa verborum obscurorum imagine deceptam esse Melibeam lena nostra asserere non timet, ideoque se venisse ut quædam sacra carmina, quasdam sacras reliquias peteret quibus morbi depelli soleant : adeo humilis et vultu demisso loquitur ut virgo fidem fallacibus verbis, habitu lenæ decepta, tribuat. Tum astuta vetula affectus movere virginis conatur et erga Calistum miserationem ciere qui deperit et jam in eo est ut mors sibi immatura immineat. Quibus auditis animo penitus turbatur virgo et jam ad misericordiam vertitur, quæ via recte ad amorem ducere videtur.

Quam varia autem et multiplex Celestina videtur, quam apta ut diversissimis conditionibus accommodetur ! Si in Eclesia desidet, res religionis curare credas, adeo modestum habitum habet et defixos in terra oculos ; sed res aliter se habet ; Celestina enim nil ni homines alliciendos et feminas a pudicitia avertendas cogitat ; si inter matres ad suspicionem pronas versatur, adeo artem amovendæ suspicionis callet ut sola cum virginibus quas mox in vitium sit adductura relinquatur. Qui honorem religiose colunt mox habitu honesto Celestinæ falluntur cum sermones ejus audiunt nil nisi puram et integram virtutem sonantes. Quid plura ? Nulla est lena quæ cum ea vel industria diversissimas res amplectente, vel summa ludificandorum hominum aut corrumpendarum feminarum peritia conferri possit. Ea igitur arte quam postea coluere nostræ « *Macette* » et « *Frosine* » ita usa est ut illæ filiæ saltem Celestinæ, sed filiæ haud matri pares videantur.

LIBER SECUNDUS.

Caput tertium : QUA NOVA *Rojas* ARTE FABULAM DISPOSUERIT ET AD EXITUM PEREGERIT.

Jam variis *Celestinæ* personis satis dispectis, quid ex his rei est nisi miram et triplicem formam Fernandum nostrum Tragicomœdiæ suæ primum induisse quippe quæ tum demum et religionis custodiis omnino liberata, et recentiorum hominum studiis magis consentanea, et vere dramaticis virtutibus prædita esse videatur. Cui sententiæ longe aberis ut adversere si quo fabula nodo implicetur, qua diversa ratione Plauti et Terentii artem immutet et renovet, quibus denique quasi nervis et lacertis vigeat prius inquisiveris. Cave tantum ne *Celestinæ* dijudicandæ disciplinam comicis poetis ab antiquis impositam adhibeas. Quamvis enim liberius et longius *Celestina* evagetur non ea est tamen quæ nihil theatralis operis habeat. Equidem non ignoro eam priore habitu nunquam in scenam productam esse ; quid vero quod, quibusdam partibus ab aliis scriptoribus amputatis, ad pulpita postea admota est ? Quid præsertim quod, quanquam ignobilium personarum dolos non repudiat, anima, ut ita dicam, alia ac Plautinæ et Terentianæ fabulæ vivit illa et spirat ? Non enim nunc caveæ rudissimos sales, nunc equitibus exquisitam contaminationem præbet, sed homini cuique patricio aut plebeio veram vitæ imaginem proponit quam vel minima colorum varietate reddere propositum habet.

Cum autem quot animi motus sunt tot significationes et commutationes *Fernando de Rojas* efficiat, nonnullis, fateor, incommodis occurrit. Sæpe sæpiusque ut nos quo quæque persona modo, quemcumque fabula tulit casum, vicissim afficiatur, servato rerum ordine, doceat, multa, quibus jam interfuimus, sermone iterata nobis proponit, et quæ non sine gratia acta sunt ea narrando corrumpit. Adde quod nonnihil

offensionis habet ad omnes personas invisendas per totam urbem vagari. Ne plura dicam, duodecimo actui non ante finem *Rojas* noster imponit quam nos ad Melibeæ portam, in Pleberii cubiculum, in Calisti cenaculum, nec non in Celestinæ domum vicissim deduxit. Nonne scriptor in fastidiosam rerum tenuitatem descendit qui personas suas relinquere negat quin eas in lecto attente collocaverit ?

Celestinæ tamen fabula longe est ut semper nobis stare videatur ; sæpe contra ea quæ longiora putabantur utilia et interdum necessaria postea apparent et in rebus explanandis haud parvi fiunt ponderis. Levissimis enim ex rationibus humilium personarum vel gravissima facta originem trahunt. Tantane Celestina verisimilitudine occideretur si prius avarissimam vetulam et avidissimum Parmenonem inter se strepentes non audissemus ? Sic multa quæ supervacua dicas ad posteros casus legentium animos comparant ; multa quoque laxo nodo fabulæ adstringuntur quæ plurimum ad personarum mutationes explicandas valent. Quid, verbi gratia, inutilius simul et festivius Pleberii et Melibeæ nocturno sermone videatur ? Attamen quæ pauca pater et filia inter se loquuntur, anxius ille et vel minimo sono sollicitus, hæc vero jam mendaciolo uti coacta, nonne ea puellæ funestum amorem et parentis summam pietatem præclare significant ? Quæ quo flebili modo nos afficient cum ante laceratum et exanime Melibeæ corpus querelas *Pleberio* effundet !

Magis ceteroquin incitato motu *Celestinæ* fabula progrediebatur cum ex sexdecim actibus constabat. Nullum equidem editionum quæ anno MCCCCLXXXXIX et anno MD vulgatæ sunt sive in Hispania, sive in Gallia exemplar reperire potui ; multas vero civitates postquam frustra scrutatus sum, in publica tandem et Parisiensi bibliotheca volumen « *Comedia de Calisto y Melibea* » inscriptum inveni quod anno MDI Sevillæ a *Martino Polono* typis

mandatum est et ab *Alonso de Proaza* correctum (1). Sexdecim tantum, sicut anteriores editiones, ex actibus conflatur ut in quo actus qui in editione anno MDII prolata XV, XVI, XVII et XVIII numerantur desint, quartus autem decimus a prima actus parte qui postea quartus decimus dictus est in ultimam actus partem qui, postquam *Celestina* novissimam induit formam, numero XIX signatus est protinus transcurrat (2). Atqui actus qui in recentioribus editionibus XV, XVI et XVII notantur casus et varietates ante oculos proponunt quibus segnior fit et languidior Tragicomœdiæ nostræ impetus. Parum enim attento animo Eliciam et Areusam excipimus quæ, occisis Celestina Semproniooque et Parmenone, immeritas pœnas a Calisto petere in animo habent. Postquam Sosiæ Areusa domini arcana elicuit ut Centurioni ulciscendi tempus designaret, quid tum inde ? *Traso* tantum intervenit qui, a Centurione adductus, ante Melibeæ hortum turbam facit et confestim discedit. Inutili illa persona, quam ceterum profectam esse mox *Tristan* nuntiat, nihil Calisto opus est ut obscura nocte deceptus scalas non videat et solo caput impingat. Magis etiam hæc supervacua sunt quæ, incipiente in posterioribus editionibus vicesimo actu, Tristani *Sosia* narrat, quia res in septimo decimo actu jam actas repetunt et corrumpunt. Nos melius *Rojas* et verisimilius e quarto decimo actu in sequentem, id est in ultimam illius partem qui postea numero XIX notatus est, primum traducebat.

Si quidem res tardius et frigidius in posterioribus editionibus aguntur, duo saltem scenæ maximam consequuntur gratiam quarum altera magnam vicesimi Actus partem im-

(1) Voluminis illius forma in-4° dicitur, litterarum notæ gothicæ nuncupantur, et titulus sic inscribitur : « *Comedia de Calisto y Melibea con sus argumentos nuevamente añadidos la qual contiene demas de su agradable y dulce estilo muchas sentencias filosofales : y avisos muy necessarios para mancebos : mostrandoles los engaños que estan encerrados in servientes y alcahuetas* ».

(2) Ne parvas varietates enotem, postquam in editione anno MDI prolata hæc *Lucrecia* dixit verba : « *No, señor*», *que durmiendo he estado* », sic eadem pergit : « *Escucha, escucha, gran mal es este* » Quæ novissima verba circa decedentem vicesimum Actum in posterioribus editionibus leguntur.

plet et exquisito illo et novissimo Calisti Melibeæque sermone illustratur; altera autem, e qua una sextus decimus actus conflatur, nihil ad Tragicomœdiæ cursum incitandum valet, plurimum vero ad affectus flebiliter movendos. *Pleberio* enim et *Alisa*, qui Melibeam ne oculis quidem viri alicujus læsam esse confidunt, filiam nuptum collocare in animo habent. « Jam, inquit pater, ætate conficior. Nonne filiæ conjuge opus est qui eam omni cura præsidioque tueatur? Quem illa e cunctis deligere potest quæ et venustate et divitiis et præsertim pudicitia floret? » Dum Pleberio Alisa assentitur, in cubiculum suum Melibea regreditur et parentum voces, invisa ipsa, audit et intelligit. Pater autem interrogat filiamne de matrimonio consulat: « Cave, respondet mater, ne castæ et pudicæ puellæ terrorem injicias ». Quantam nobis misericordiam eliciunt et parentes summam filiæ fidem habentes et ipsa filia malefacti conscientia exagitata et cruciata! Hæc domesticarum rerum plena quibus nusquam apud Romanos poetas locus permittebatur non potius *Celestinæ* moram et impedimentum quam novos et vividissimos colores afferunt.

Ceterum Tragicomœdia nostra, et cum per unum et viginti actus producitur, longe est ut stataria dici possit. Ita enim Calisti ardores et Celestinæ artificia inter se junguntur ut aliquid novi semper respicientes semper intenti teneamur. Levibus primum nos affectibus juvenis noster movet dum sibi astutissimæ lenæ auxilium parat et se Melibeæ deliciis fruiturum confidit. Quæ vero quasi comœdia incipit postea fit tragœdia quippe in qua occidatur Celestina infelicique arbori suspendantur *Sempronio* et *Parmeno*. Vix deinde Calisto Melibea leniter arrisit, et nobis Areusa et Elicia occurrunt quæ ulciscendi libidine flagrant et e lætitia metum facere operose conantur. Quam diversis denique et concitatis motibus afficimur cum ante oculos duo juvenes primum amore delectati, mox horrenda morte defuncti obversantur! Sic vicissim ridenda et flenda legimus quæ veram vitæ speciem præbent. Nonne enim ut in *Celestina* personæ,

sic in vita homines per diversa fluctuantur? Itaque, si quædam *Rojas* parva aut fastidiosa scripsit, novam tamen in disponenda fabula viam ingressus est et primam tragicomœdiam composuit.

Cui fabulæ novis quoque nervis opus erat qui ad præcipuos rerum et hominum motus exprimendos valerent. Quæ igitur est causa cur ad agendum homines plerumque impellantur? Unde quasi e fonte inexhausto risus et lacrimæ, præclare et nefarie facta exsiliunt? Qua semper vi dulci simul et amara patricii et plebeii juvenes et etiam senes commoventur? Nonne hæc omnia amoris potentiam satis significant? Quam *Rojas* valde cognovit et propriis depinxit coloribus. Non enim ei, velut antiquis poetis, corporis tantum forma mulieres eminere videntur, nec rursus, velut Italis scriptoribus, nunc excogitatis et humanum modum excedentibus virtutibus, nunc pravis et dolosis voluptatibus præstare. Novam contra et magis recentiorum studio consentaneam speciem Melibea induit quæ et Maurarum ardore fervet et Christianarum caritate mollitur. Cum autem ab ea toto non solum corpore sed etiam animo *Calisto* diligatur, amore et ipse flagrat qui animi pariter ac corporis voluptatibus inservit. Omnes itaque pastores aut armigeros procul a se relinquit qui in prioribus Eclogis lyrico modo Cupidinem eisdem semper querelis prosequebantur. Quo validiore ille et multo magis tragico affectu excitetur subtiliter nos Celestina docet. « Nullas, inquit, amantes nisi inter se pugnantes res agere possunt qui nec loquuntur nec silent, qui nunc lætitia nunc dolore afficiuntur, adeo insanientes et deliri ut ne cibum quidem in os inserendi memores fiant. Nihil unquam nisi absurda et absona respondent utpote quorum corpus tantum adsit; animus vero absit ad amicam requirendam profectus ». (1) Non ita absoluta ceteræ personæ, sed ejusdem generis cupidine ardent, sive Elicia justæ tantum iræ mandata exsequi putat, sive *Parmeno* domini salutem fictis

(1) Cf. Actum IX.

causis deserit. Quid est in *Celestina* causæ cur ille exsultet, hæc autem ingemat, cur illi alliciantur, hi vero trucident aut pereant ? Amorem, amorem semper incusabis qui, quia hominum moderator dici potest, in recentiorum theatro magis magisque dominabitur.

Quamvis vi maxima amor ille progrediatur, non is est tamen cui nihil unquam obstet. Nec ea solum dico quæ externis causis superveniant ; sed intimos sensus et accepta præcepta significo quæ effrenis cupiditatibus modum adhibere conantur. Cum autem diversa apud diversos populos ea sint quæ nos quid debeamus doceant, nusquam magis quam apud Hispanos peculiari et mira forma induta sunt. Non enim, ut supra vidimus (1), immutabili et omnium hominum propriæ legi tum Hispani parent ; honori vero ita inserviunt ut nihil decoris a se usurpati læsum patiantur, aut, si accepta est injuria, nullam ferunt moram quin atrocissimæ pœnæ repetantur. Quo quasi officio pariter funguntur in *Celestina* et domini et ministri et etiam meretrices. Qui fit ut, occisis Sempronio et Parmenone, in judicem *Calisto* tot verbis incendatur nisi quod genti suæ aliquid dedecoris admissum esse existimat ? Quamobrem tanta Celestina pericula obit nisi ut lenarum optima habeatur ? Non ei ipsi tanti sunt nummi quanti laudes et gloria. Cum autem Hispani superbia intumescant, non eis curæ est qui reipsa sint sed qui esse videantur, nec qui sit domesticarum rerum status sed quam præbeat speciem. Ignavia tantum *Sempronio* et *Parmeno* præstant quos tamen fortes et strenuos *Calisto* prædicat quippe cujus ne ministri quidem mali evadere possint. Alia, nec minus absona, suus Eliciæ persuadet decor ; quæ, postquam Celestinam ulta est, Sempronii quoque, quem ipsa judicibus tradidit, pœnas se repetituram prædicat. A quo vero ? Ab amatoris sui domino qui famuli mortem inultam passus est et ei ipsi propriam facit injuriam quandoquidem aliæ mulieris deliciis

(1) Cf. Cap. I.

lætus fruatur. Sic pœnæ aliæ ex aliis nectuntur ut calamitates illæ quas antiqui poetæ fato et immutabili necessitate intermixtas ostendebant.

Talem cum scriptores honorem cum amore pugnantem depinxerint, diversa component opera et scenicis apta ludis. Cum autem multa sint theatralia genera, verone majora dicam si ea ad *Celestinam* quasi ad stirpem reduxero? Mihi quidem satis constat hispaniensem comœdiam quasi totam ex ea pendere. Quod ceterum mox confirmabo; ne vero Hispanos tantum respiciam, quid omnium populorum tragœdiæ magis consentaneum invenias quam Melibeæ et Calisti fluctuantes sententis? Dum enim deliberant an cupidini totos se tradant, dum conscientiæ angores captiosis causis et argumentis opprimunt, quo magis tragico et undique percepto modo animi sui formam redderent? At hæc ab aliis, quæ non lacrimas, sed cachinnos movent, dissentire videntur. Fateor; sed non omnes unum et ejusdem generis affectum auribus requirunt; sunt contra qui vel confusis et inter se contrariis rebus delectentur. Quorum de studio disserendi non hic est locus; hoc tantum notare satis habebo comœdias ipsas apud recentiores non adeo profecturas fuisse si tragœdiarum materiam sui juris facere non conatæ essent. Ne multa dicam, quid, quod pœnitere possit, Molierus noster effecit cum risum ex eodem fonte hausit e quo lacrimæ quoque et gemitus semper exsiluerunt? Non eamdem ac tragœdia, sed ejusdem hominum naturæ speciem comœdia præbebit quoties a vana solum et humiliore curiositate movenda abhorruerit. Quid hoc rei est? Cum in Tragicomœdiæ suæ fabula ad exitum peragenda amore et honore quasi nervis et lacertis *Rojas* noster usus sit, antiquiorum viam deseruit, et recentioribus novas et tragœdiarum et comœdiarum imagines adumbravit.

———

LIBER SECUNDUS.

Caput quartum : QUATENUS HISPANORUM STUDIIS *Celestina* INDULSERIT HISPANIENSIUMQUE RERUM SIMILEM EFFIGIEM EXPRESSERIT.

Vere tamen hispaniensis est *Celestina*, cum sentiendi et cogitandi formam quamdam præbeat quæ multum apud *Lope de Vega* ejusque discipulos vigebit, quæ vero non penitus in animo tuo insidebit si longe a Pyrenæis montibus in lucem susceptus eris. Non enim tantum proprio quantum publico ingenio *Fernando de Rojas* inservit dum contrariis contraria ita opponit ut ridiculas et horrendas res, fortia et impudica facta, quæ præcipuis aut religiosis personis et quæ plebeiis et ignobilibus conveniant mira diversitate jungere haud dubitet. Fictas solum et commenticias fabulas prætermisit ,quibus quamquam Hispani indulgebant veras hominum imagines repugnare putabat. Nihil autem magis quam *Celestina* humanam sæpe, ut ita dicam, et hispaniensem semper veritatem spirat. Quid enim, si personarum omnium ingenia considerare volueris, quid omissum senties quod ad mores exprimendos valeat? Multa etiam adeo divine finguntur ut viventes ipsos homines audivisse auctorem dicas. Nonne verius vero est Areusæ colloquium famularum vitam describentis et dolentis? Nequicquam, et in latina etiam comœdia, vividiores requiras picturas ad ministrorum et meretricum cupiditates exprimendas? Nihil *Fernando de Rojas* licentius esse videtur quod quidem certam naturarum speciem præbeat. Areusæ amore quo *Parmeno* modo perfruatur haud ignari sumus cum Celestina illius veneres et hujus ardorem intueatur et depingat. Non minus improbis nonnunquam verbis *Elicia* et *Sempronio* delectantur, nedum dominorum studia et sermones semper imitentur. Quod compertum habebis si epulis adfueris quas in Celestinæ domo non suis, sed Calisti impensis *Parmeno* celebrat. Dum enim in vinum

trahuntur, famuli et meretrices incalescunt et inter se ita obtrectant ut probris et maledictis ictus quoque succederent si non alia et plane diversa jurgii finis esset. Tali veritate et majore etiam licentia præterita et præsens Celestinæ vita ante oculos nostros obversatur. Quæ illam *Claudina* docuerit *Parmeno* nos certiores facit. « Nulla monasteria *nonnarum* aut monachorum non frequentabat, ut simulato religionis cultu lenocinia ibi sua componeret. Domi suæ pretiosos odores parabat omniaque genera exoticorum fructuum adulterabat quos pro medicamentis simplex turba emebat. In alio secessu remedia habebat amoris conciliandi, ossa cordis corvini, linguas viperarum, cerebella asinorum, funem strangulati hominis, florem hederæ, etc., etc... » Quantum autem Celestina ceteras lenas superaverit non te præteribit si Sempronio credideris : « Quinque amplius millia audivi feminarum hic esse quas de virginibus illa mulieres, de mulieribus virgines auctoritate sua per civitatem fecerit. Ludus ei temeratum pudicitiæ florem mentitis machinis pro integro vendere. Hæc durissimas etiam petras, modo velit, in libidinem commovere valet ». Celestinæ igitur domus longa et prospera usa est fortuna, nec, quamvis ad parva redacta sit, omni ope vacua est et nuda.

Non minus horrendis rebus quam familiaribus et licentioribus Fernandum *de Rojas* indulgere intelliges si magis magisque tremendam finem meditatus eris quæ dominos amatores æque ac ministros nequam et malos secuta est. Multum jam offensionis *Sempronio* et *Parmeno* habent cum vetulæ avaritia efferati in lenam irruunt quam inconfessam et mortuam relinquunt Quas vero atrociores pœnas luunt dum se, ut judicium fugiant, in præceps jaciunt et, cadendo contusi, sanguine et etiam cerebro imbuti, patibulo affiguntur ! Quæ infanda cum ab agasone Sosia audit, intimis *Calisto* sensibus exhorrescit ; frigidiore tamen nos horrore afficiet qui mox e Melibœæ complexu avulsus solo caput impinget nec magis quam Celestina æternæ salutis spem confessione auferet. Ad summos denique animi nostri

angores cumulus accedet cum ex alta turre Melibea se abjiciet, et, dum Calistum morte assequitur, exterriti patris ante oculos præceps corruet. Sic Hispani modum egrediuntur qui luto æque ac sanguine vicissim delectantur.

Dum autem nullius adhuc morte aut dolore misericordia nostra evocatur, risum singularem et, ut ita dicam, hispanissem vix tenere possumus cum ab amantium ardoribus et deliramentis ad communem sensum et vulgarissimas res traducimur. Sunt quidem in *Celestina* quæ, quia hominum notissima vitia insectantur, omnibus populis æque dilucida apparent ac ridicula. Quis quid parum explicatum aut facetum inveniat dum, exempli causa, cupidissima Celestina, et *Parmeno* de vetula male metuens, et moræ impatiens *Calisto* colloquentes inducuntur ? Lena enim, cum juveni lætum nuntium afferat, tempore utitur ut mercedes consequatur quas sicut facinora cum sociis communicare non possit. « In quo, inquit, periculo versata sum ! Pro vita mihi nemo tanti rem pretii dedisset quanti vile hoc et usu detritum est pallium. » *Calisto* vero Celestinæ cupiditatem non intelligit ut qui amori tantum inserviat. « Spem, ait, affers optimam ? » — « Optimam merito, respondet vetula, dicere possum, cum optatior Melibeæ ego detrita atque exoleta hac tunica veniam quam alia quævis serico et aureo textili induta ». Spem solam qua delectatur cum juvenis audierit, omnia narrandi quæ se in Alisæ domo habuerunt Celestina consilium capit : « O, clamat *Calisto*, si tum ego subter pallium istud tuum abconsus essem, ut colloquii tui consors fuissem cum illa quam Supremum Numen tantis gratiis dotatam excellere voluit ! — Subter pallium, ais, meum ? Atqui illic clare conspectus fuisses ; plus enim triginta foraminibus illud perforatum est, et utinam melius mox accipiam. » Tanto minus risum tenes quanto plus *Parmeno* vetulæ indignatur quæ non solum pallio donatur sed etiam aureum cingulum ita primum recusat ut quæ ingentibus gratiis mox id acceptura sit. « Heu, commurmuratur *Parmeno* secum voce flebili, munere illo se vetula

indignam esse putat sicut Melibeæ amore dominus meus. »

Pecuniæ ista aviditas a nobiliore Calisti cupidate plurimum dissentit. Multa vero sunt in *Celestina* quæ multo magis alia cum aliis discrepant et quæ ridiculo sed Hispanorum proprio modo tumidis et magnificis verbis rudia et inurbana opponunt. Sic discrepant Centurionis gloriationes et famulorum convitia. Sic Areusæ probris avi sui qui centum mulieribus imperavit laudes miles gloriosus interponit. Sic Sosiæ fictis et meretriciis blanditiis ovanti conservus *Tristan* nominis obscuritatem et equilis stercus objicit. Qua vaniloquentia et pingui jocatione risus concitatur vernaculo sapore distinctus. Non enim, ut solet, ad cachinnos movendos disparia tantum *Fernando de Rojas* jungit sed quæ maxime alia aliis refragentur. Nullæ autem res magis inter se pugnant quam dominorum liberalitates et famulorum sordes. Quæ inter se contraria priores jam Hispanorum codices velut primis lineis designabant, ea *Celestina* clariore forma describit. Non sane dubito quin simile aliquid apud omnes hominum animos semper reperiatur quorum duplex est vis, cum una pars in appetitu, altera contra in divino instinctu posita sit. Illæ vero altera ab altera discordantes partes non solum multo magis dispares apud Hispanos apparent, sed etiam duobus personarum generibus exprimuntur quibus illustriores nullæ sunt quam *Don Quijote* et *Sancho Pança*. Nonne tibi *Calisto* Melibeam eodem impetu deliroque ardore interdum prosequi videtur quem in amentis equitis non animo, sed cogitatione *Dulcinea* excitat ? Nonne etiam *Sempronio*, sicut pinguis ille famulus et immortalitatem assecutus, communi sensu et loquacitate mulieres despicit et homines illudit ? Quid quod non aliter quam postea *Cervantes* risum *Fernando de Rojas* movere conatur dum capiti, ut ita dicam, ventrem semper opponit ? « A Melibeæ capillis, inquit *Calisto*, nunc incipiam Vidistine tu filamenta aurea delicatissimo metallo ducta, qualia ducuntur in Arabia ? Pulchriores sunt Melibeæ ca-

pilli neque minus splendoris habent. Prolixi usque ad confinia plantarum, cum compositi et in ordinem redacti cirris caput vinciunt, sicut eos componere et aureo funiculo connectere solet, soli valent ad spectatorem quemvis in lapidem vertendum. — In asinum, mussitat *Sempronio*, potius putem ». Sic uno verbo flagrantis juvenis exagerata altius oratio deridetur. Talis excitatur risus cum *Calisto*, qui famulorum fidei et virtuti innititur. Melibeæ domo sine metu appropinquat, *Sempronio* autem et *Parmeno* arma disponunt, sed in tergo, consiliumque cum utroque communicant, sed primo tumultu fugiendi. Minus sane inverecundi sunt *Sosia* et *Tristan*, sed nihilominus facetiis suis impediunt quin dominorum fervidis aut flebilibus sermonibus diu commoveamur.

Non minus crebro et multo magis miro modo devota et impudica verba in *Celestina* inter se pugnant. Nulla fortasse improba sententia tuas aures offendit, nullus locus oculos lædit tuos quin simul sacratas sententias audias aut catholicis antiquissimas imagines videas. Ita enim in intimos Hispanorum omnium animos religio tunc illapsa erat ut in dialogo qui veram rerum et hominum speciem præberet persæpe non emanare non posset. Amorisne sui vim et dolorem significare *Calisto* in animo habet? « Ego, inquit, Melibæus sum, Melibeæ sectam sequor, in Melibea credo, Melibeam denique adoro... Si qualis meus talis est Purgatorii ignis, pecudis fatum mallem quam hoc dolore emptam cœlorum beatitudinem ». Quæ quamvis impia a Sempronio dicantur catholicæ religionis familiaritatem non obscure declarant. Magis offensionis hodie habent quæ, dum pudenda spectantur, pia prædicantur. Postquam Celestina præteritam vitam quæ nulla christiana floruit virtute subtiliter retulit, perfectam humilitatem ostentare non dubitat nec ad virginem depravandam Dei et sanctissimi Michaelis benedictionem implorare. Medio etiam in luxu lenæ et meretrices salutis æternæ viam perdere non existimant. Si quid mulierem deceat ab Elicia requisiveris nihil melius

esse respondebit quam florente ætate sine scrupulo frui et intacta fide parvum in immenso Paradiso locum mereri. Per Purgatorium fortasse iter faciendum erit; sanctæ vero et beatæ sunt a quibus auxilium haud frustra petatur. Nonne Maria Ægyptiaca miserabilem carnem suam crucifixit? Quid refert quo modo cretaceo et lutoso corpore usus sis si animum servaveris religioni credentem? Haud igitur miranda sunt Eliciæ aut Areusæ verba et mores nec quasi dolosa judicanda et inter se contraria. Longe aliter Celestina religiosas voces usurpat ad facilius alios decipiendos majoresque sibi quæstus faciendos. Non omnia tamen in ejus religione falsa sunt et ficta. Dum enim sociæ Claudinæ justas pœnas memorat non multum abest quin eas cum martyrum cruciatibus sincero animo comparet. Catholicæ ceteroquim fidei virtutem ita sibi persuasam habet ut, quidquid faciat, ab omni spe æternæ vitae sibi parandæ non discedat.

Quæ cum audirent, Hispani non indignabantur. Ita enim familiariter in omnium mentibus et animis religio insidebat ut impurissimis non minus quam nobilissimis factis et dictis inhæreret. Nonne etiam licentioribus imaginibus legitimam causam et justam excusationem afferebat, cum medio in fimo purissimum gigneret florem? Multum igitur moribus *Celestinam* conferre *Fernando de Rojas* prædicat quandoquidem juvenes lenarum et famulorum fraudes amorumque inconcessorum miserias vivis imaginibus et insignibus exemplis doceat. Vitia sane nullo verborum prætextu nullaque umbra celavit. Quorum vero cum magis magisque horrendam finem nobis ostentaverit, quo præstantiore modo nos ab eis avertisset? Haud certe mirum est Celestinam sua oppressam cupiditate perire; sed, dum lena corruptrix a corrupto famulo interficitur, quo afficiuntur terrore qui corruptela et perversitate pascuntur! Quid quod *Calisto* statim atque delicias suas amplexus est repentinam obit mortem cui mox *Melibea* se ultro offert? Quid infirmis animis qui cupiditatibus parent atrocius proponatur? *Pleberio*

denique non nobis concedit ut nos *Celestinæ* præcepta et documenta prætereant. « O amor, exclamat ille ante filiæ exanimum corpus, Amor, postquam per medias ardorum tuorum flammas me erupi, confidebam laqueis me tuis jam elapsum esse... Non putabam te parentum delicta ipsorum posteritati imputaturum... Nescio utrum ferro ferias an igne comburas... at corda mortalium in penitis pectorum penetalibus lancinas... Quem finem adepti sunt discipuli tui, quem ipsorum ministri ? Lena illa falsa et decrepita fidelissimorum suorum sodalium vulneribus mortua est qui postea carnificis manibus perierunt, *Calisto* quoque casu interiit, tristissimaque et infelicissima filia mea ipsa sibi mortem conscivit ut illum sequeretur.. Quorum omnium solus tu causa es et caput. Dulce tibi vocabulum imposuerunt, amara sunt facta tua... Deum te appellant alii, nescio quo errore sensibus suis tum spoliati : vide quis ille Deus perhiberi valeat qui quos educavit occidit! » A quo melius Amor accusari posset quam a patre illo excruciato et, ut novissimis *Celestinæ* verbis utar, « omnis solatii exsorte in perpetua hac ærumnarum valle » ?

Tali excusatione *Fernando de Rojas* usus est ut illis satisfaceret qui obscenitatis Tragicomœdiam suam condemnabant. Non enim libertatis modum excessit nisi ut verissimis imaginibus animi errores extorqueret et lubricam fiduciam excuteret. Quæ defensio scriptoribus semper occurrit omnibus qui omnia dicenda, quamvis turpia sint et impura, sibi permittunt. Forsitan multi dicant, nec immerito, non tam in talibus libris præceptum bonum apparere quam exempla prava et noxia. Maline famuli, castigato Sempronio, unquam defecerunt ? Quid demum nos *Calisto* docuerit nisi amantes juvenes fatali nescio qua vi et immutabili volvi necessitate ? *Celestina* ceteroquin omnem verecundiam effundit. Quam ne, sicut *Alejo de Venegas*, « non *Ce*lestinam, sec *Sce*lestinam » vocem, aut, sicut *Luis Vives* « nequitiarum parentem et carcerem amorum », non possum non minus quam *Cervantes* reprehendere quod pudoris fines transierit :

Segun siente Celesti —
Libro en mi opinion divi —
Si encubriera mas lo huma — (1)

Cum autem Tragicomœdia *Calisto y Melibea* verissimam et etiam impudicam vitæ speciem præberet, prima esse sæpe visa est librorum illorum qui humiliorum rerum et personarum naturam imitati sunt et tantopere apud Hispanos floruerunt et viguerunt. Quid de sententia illa existimandum sit facilius nunc intelligi potest. Magni certe momenti in ejusmodi operibus *Celestina* fuit, pluris vero et præstantioris in dramaticis. Primus enim est recentiorum librorum qui se omnino clericorum laqueis expediat et plane profanus evadat. Primus est dialogus qui hispaniensis ingenii vividam et jam quasi perfectam imaginem ostendat ut qui, commenticiis fabulis exceptis, omnibus Hispanorum studiis indulgeat. Dicitur *D. Diego Hurtado de Mendoza*, cum Romam legatus proficisceretur, duos tantum libros, *Amadis* scilicet *de Gaula* et *Celestinam* secum asportasse. Si Calderonis quoque «*auto*» aliquem auferre potuisset, totam secum Hispaniam iter facere merito prædicasset.

Non solum *Celestina* primum est opus quod hispaniensium rerum simillimam effigiem reddat, sed etiam prima recentiorum tragicomœdia recte dici potest. Quæ enim antea vidimus nisi fabulas antiquo sermone interpretatas nec unquam in scenam missas ? Quæ contra scenicis in ludis agebantur breves tantum erant dialogi, ecglogæ aut spectacula. Non equidem ignoro ad histrionum ostentationem *Celestinam* haud esse accommodatam. Nonne vero legentium animos penitus et plane dramatico commovebat affectu ? In qua tragœdia aut comœdia præstantiores varietate aut veritate personas invenires ? Domini, ministri, parentes, juvenes, lenæ, meretrices, omnes denique quos loquentes *Fernando de Rojas* effingit non sicut in falsa aliqua et ficta historia depinguntur, sed oculis nostris

(1) Cf. versus quos *Cervantes* primis notissimi operis verbis adjecit et qui « *Del Donoso, poeta entreverado, a Sancho Pansa y Rocinante* » dicuntur.

spirantes et verisimile aliquid semper agentes subjiciuntur. Perlecta igitur *Celestina* tibi videberis plenæ hilaritatis comœdiæ et plenæ doloris tragœdiæ vicissim interfuisse. Mirandus liber qui, quamquam in anno MD jam vulgatus est, nostram tamen in memoriam et *Shakespeare* et *Lope de Vega* revocat! Cui, postquam quid apud hispanos poetas sexto decimo in sæculo valuerit magis compertum habueris, fortasse non dubitabis primas in effingendis dramaticis recentiorum operibus partes tribuere.

LIBER TERTIUS :

QUAS PARTES AD HISPANIENSEM « *comedia* » ANTE *Lope de Vega* EFFINGENDAM *Celestina* EGERIT.

Celestina, cum soluta oratione scripta esset, magni fuit momenti omnibus in illis operibus quæ, longa aut brevia, humilium et familiarium rerum imaginem legentibus præbere sunt conata. Non igitur mirum est si grammaticis multis primum hujus generis exemplar esse visa est quod ab Hispanis « *picaresco* » vocatur. Dramaticis tamen in dialogis in quibus ante *Lope de Vega* quasi imperfecta sed vera comœdiæ species apparuit, pauca sunt quæ non Fernandi *de Rojas* memoriam reducant. Quod compertum habebis si Ecglogas evolveris quas *Juan del Encina* millesimum quingentesimum post annum ætatis nostræ composuit. Nec me fugit illum in Italia non frustra moratum esse quippe qui Romæ sine dubio fabularium personarum studium conceperit et fortasse amorem subtilioribus munditiis pingere edocuerit. Cum enim Cupido Febeam ab inferis excitat (1), et Venus lacrimanti jamque morituro juveni apparet cui mox Mercurius dilectam puellam ad vitam revocatam referet (2), nonne manifestum est deos omnes illos e terra venisse in qua semper floruerunt ? Haud aliunde profectus est *Cardenio*, qui, in Ecgloga « *Fileno* » inscripta, verbis utitur ad mulierum laudem suscipiendam quæ Petrarchi spiritu afflata esse videntur ?

Nullum tamen scriptorem magis *Juan del Encina* imitatus est quam Fernandum *de Rojas*, novissimis saltem in suis Ecglogis. Cujus non solum virtutes, sed etiam vitia expressit, sive, non sine jactantia aliqua, molestam ostentavit eruditionem, sive curiosis et nimis exquisitis verbis potius quam propriis et simplicibus usus est, sive denique

(1) *Égloga Cristino.*
(2) *Égloga Placida y Vitoriana.*

multa non tam vera quam impura et licentiora referre non dubitavit. Cum enim *Suplicio* incertas amantium libidines describere cupit, fabulosa nomina congerit quorum notissima Jason et Minos sunt, et Paris et Tereus multaque alia quæ referre fastidiosum esset (1). Num aliter Celestina infinitarum et antiquarum personarum memoriam referebat ad sententiolam aliquam illustrandam? Dialogum denique lege in quo Eritea Flugenciæ meretrici pessimas artes suas explanat et puellas enumerat quibus virginitatis honorem iterum et tertio reddidit ut quæstum majorem corpore facerent. Celestinæ æmulam facile agnosces quod avidissima illa lena nullum stuprorum recusat quæ jam in Tragicomœdia de *Calisto y Melibea* descripta sunt, nedum magicum ministerium repudiet et turpe aliquid existimare possit, si quidem auribus resonent nummi.

Non tamen *Celestinæ* pravitates tantum *Juan del Encina* referre valuit, sed et hispaniensem colorem et dramatici aliquid quod in prioribus Ecglogis nusquam inveniebatur. *Sempronio* enim et *Parmeno* in mentem veniunt cum rustici audiuntur qui juvenis amantis querimonias aut rudi animo interpretantur aut crassis facetiis irrident. Quæ verborum et sensuum mira diversitas peculiari Hispanorum studio adeo respondet ut vocem « *gracioso* », quæ sola illam exprimit, nulla alia lingua significare possit. Quomodo enim latinis sententiis risum explicabis ad quem frons tua transfertur cum Filenum de Cefira et fortuna non sine causa sed sine fine deplorantem solatiis Zambardus permulcet quæ amici tristitiam magis cavillari quam levare videntur? (2) Non aliter *Pascual* et *Gil* se gerunt qui flebilia et flentes personas nunc jocis, nunc somno excipiunt (3). Monachi quoque apud Johannem *del Encina* sicut apud Fernandum *de Rojas* limis verbis increpantur ; nempe et ipsi facetiis illis materiam præbent quæ Hispanorum popularem et tam firmam quam liberam devotionem patefaciunt.

(1) *Égloga Placida y Vitoriano.*
(2) *Égloga Fileno.*
(3) *Égloga Placida y Vitoriano.*

« Non religiosa veste, ait Febea, illi omnes induuntur qui cœlum consequuntur. » *Justino* non ab ea dissentit qui nullos eremitas sanctos esse affirmat nisi senes quos ætas vitiis inhabiles fecerit. (1) Quin imo nullam in *Celestina* partem invenias in qua *Fernando de Rojas* Christianorum sacris fabulosas et profanas res majore misceat licentia quam *Juan* ipse *del Encina*. Vide enim quo *Placida* modo, cum Mercurii incantamentis ab inferis revocatur, oculos iterum aperiat. Nonne ea repente Lazari memoriam in animum tuum reducit? Quæ Catholici sanctissima habent cum paganorum moribus ita in eadem Ecgloga familiariter junguntur ut nullas eorum religioni inimiciores voces reperire possis quam « Vigiliam » illam quæ sine dubio Inquisitorum iram et prohibitionem in totum dialogum concitavit. Quid enim magis mirum est et religiosis animis molestius quam « Invitatorium » illud et psalmi in quibus Cupido, sacris et latinis verbis hispaniensi et vulgari sermoni mixtis, non secus ac solus Deus invocatur?

« Señor Dios mio, exclamat *Vitoriano*,
Por el primor de mujeres
Soy contento padecer...
Convertantur
fletus, et revereantur,
et valde velociter. »

Versus quoque lege quos « Requiem æternam et antifonam » *Juan del Encina* inscripsit :

« Pater noster, niño é ciego...
Cupido, Kirieleison. »

Nonne confestim Celestina in tuum venit animum ut quæ sanctissimas et impudicissimas res eadem simplicitate referre soleat?

Alia vero e Tragicomœdia de *Calisto y Melibea* et meliora et majoris momenti *Johannem del Encina* hausisse fabulæ ipsæ demonstrant quæ eam in exemplum assumpserunt. Non enim solum plures personas in scenam inducunt, sed

(1) *Égloga Cristino y Febea.*

etiam novi aliquid et dramatici ita induunt ut non jam bucolica poemata sed « quasi comœdiæ » esse videantur. Quod perspicue discernes si cum Dialogo *« entre el Amor y un Viejo »* a *Cota* scripto Ecglogam contuleris in qua *Cristino*, *Justino*, *Febeaque*, et Cupido confabulantur. In eadem enim materia versantur, sed dum triumphantem amorem ostentant, lyricis Dialogus, dramaticis contra virtutibus Ecgloga floret. Quid quod omni spe orbatus *Fileno* vitam tolerare non potest, et, dolori impar, nullaque solatione contentus, cultro pectus ipse perfodit ? Nonne tragicum spirat satis ? Quid tandem inter breviorem sed veram tragœdiam et Placidæ Vitorianique miserabilem casum interest nisi quod Venus et Mercurius numen interponunt ut amanti amatam postremo reddant et dolorem in lætitiam convertant ? Nonne varii personarum affectus digni sunt qui in dramatico opere exponantur ? Vitoriani enim a Placida alienatio, quæ nihil gravius habet quam leves illæ et quotidianæ inter amantes iræ, miseranda mox fit desperatio et puellæ primum, juvenis deinde consilium concitat a vita desciscendi. Sic, mortuo Calisto, nihil Melibea promptius habebat quam infelicem amantem eadem et horrenda morte convenire.

Talis Amor qui tot lamentis et funeribus pascitur non mollibus vicissimque rudibus aut elegantibus blanditiis utitur quibus in prioribus Johannis *del Encina* Ecglogis pastores aut armigeri puellam aliquam allicere conabantur. Non enim jam leve est animi studium, sed effrenata cupiditas quæ nec ratione exstingui nec deverticulo aliquo decipi potest. Inanem itaque operam *Cardonio* insumit cum ardenti Fileno consilia afferre cupit. Quid audiat vesanus ille qui insaniam suam et compertam habet nec vult sanare ? Nihilominus amens *Cristino* evadit qui amorem mortis fratrem esse existimat et, neglecta tamen placida et solitaria vita, viam ingreditur dolendam in qua, sui impotens, nunquam lacrimis satiabitur ? Placidam quoque audi cum, a Vitoriano relicta, per montes

vagatur et gemitus questusque effundit. Nunc maledictis, nunc dulcissimis querelis amatum semper juvenem increpat, et, sive indignatur, sive absentem precatur, tristia animi secreta multo dilucidiora patefacit. *Vitoriano* denique Placidæ memoriam non magis amittere potest et amicum adit a quo vanam petat solationem. Nihil enim propriis ipse viribus effecit verborumque contumeliis quasi gravissimis incrementis dolorem tantum adauxit. Nonne amore illo flagrat quem Celestina summa veritate depinxerat et quo cum ardeant posteriores Johannis *del Encina* personæ nova certe et multo magis dramatica virtute et varietate induuntur? Non enim *Vitoriano* et *Placida* indigniores sunt qui cum Calisto et Melibea aliquo modo conferantur.

Pastores quoque, in Ecglogis quæ *Celestinæ* exemplum sibi proposuerunt, animi sui formam magis veris et diversis verbis reddunt. Jam enim satis exquisitis coloribus pinguntur et *Zambardo* qui sese tam ingenuo animo diligit dulcissimoque, dum *Fileno* ingemit, somno dormitat, et *Suplicio* quo nemo fortasse inter notissimos amicos magis fuit delicatus, et *Justino* præsertim qui omnes mentis habitus subtiliter dispicit mitissimoque imbuitur ingenio cum amantium stultitiam acutis nec malis insectatur facetiis. Quid hoc rei est nisi quod Johanni *del Encina Celestinæ* perlectæ haud pœnitendum fuit si quidem ex illa multo magis dramatici operis proprias et fabulas et personas assumpsit?

Non minus Fernandi *de Rojas* Tragicomœdia in illis spectaculis momenti habuit quæ, progrediente sexto decimo sæculo, hispaniensis comediæ quasi magis et magis claræ species apparuerunt. Seponendus quidem est « *Auto* » ille « *de la Pasion* » quo nihil in illo genere nec pulchrius nec purius vidimus. Sanctissimam enim tragœdiam quam Evangelistæ tradiderunt, rerum servato ordine, ante oculos ita obversat ut quasi divino numine afflatus esse videatur (1).

(1) Magdalenæ, verbi gratia, si querelam legeris, divinum illum fateberis luctum

Nullum vero aliud opus *Lucas Fernandez* composuit quod talibus vel similibus dignum sit laudibus. Quamvis enim in duobus et scenicis ludis quos de Nativitate scripsit religioso interdum spiritu instinguatur, tribus e fontibus, sicut in ceteris et profanis versibus, aquas haurit quibus rivulum alit suum. Cum autem primum Rodrigum *de Çota*, Johannem deinde *del Encina*, Fernandum denique *de Rojas* vicissim imitetur, nusquam, mea quidem sententia, dramatici poetæ partibus melius functus est quam in scenis quæ Tragicomœdiæ *de Calisto y Melibea* memoriam reducunt. Quo enim verbo ad Dialogum « *para cantar* » dijudicandum utaris quod lyrico sermoni « *entre el Amor y un viejo* » non jam conveniat ? Quid interest, nisi titulus, inter priores Johannis *del Encina* Ecglogas et comœdiam cujus personæ *Bras-Gil*, *Beringuella*, *Miguel-Turra*, *Olalla* senexque *Juan Benito* nominantur ? Pastores semper audimus qui rustica opprobria fundunt aut puellæ fastidia superare conantur. Quæ in septima Johannis *del Encina* Ecgloga Pascualæ *Mingo*, si quidem mutuam consecutus erit voluntatem, se daturum esse pollicetur, omnia illa vel talia, non minus rudia et ridicula, nepoti dotem *Juan Benito* constituit. Ne aliò « saturæ » materiam quæramus in qua nobilem quamdam adolescentulam, pastoremque et armigerum loquentes audimus. Risum certe tuum rusticuli ineptiæ movebunt quæ flebilis puellæ nimis exquisitis flosculis et ambitiosæ in loquendo jactantiæ longe disparia verba opponunt ; mediocrem vero vim in fabula intricanda, mediocrem quoque personarum veritatem esse existimabis.

Affectus contra in « satura » acrius et gravius moventur quæ pastores duos, militem quemdam puellamque ovium

magis ingenuis verbis et quæ majorem habeant misericordiam nulla in lingua expressum esse :

« Cuan desconsoladas fuimos
Mezquina entre las mezquinas,
Cuando quitar le quisimos
La corona, y no podimos
Arrancarle las espinas ! »

custodem in scenam inducit. *Lucas* enim *Fernandez*, dum eam componit, Ecglogas ante oculos habebat quæ a Johanne *del Encina* ad *Celestinæ* speciem imitando relatæ sunt. Testis est *Prabos* qui ad Amoris potentiam illustrandam Fileni Cristinique exempla memorat quorum ille mortem, hic vero solitudinem quæsivit. Nil igitur mirum si juvenem præsentis semper puellæ cupidine flagrantem tam vividis Miles depingit coloribus. Nonne Celestinæ edoctus est disciplina? « Centurionis » quoque a jactantia tantum abest ut abhorreat ut rudibus sed sanis pastorum judiciis gloriationem suam et vaniloquentiam opponere soleat. Quid facetius quam dialogus in quo *Pascual* se, lorica visa, nihil animo nisi rapinarum et contumeliarum timorem volvere fatetur, Miles autem sævitiis quæ vitari posse non videntur patrocinia quærit, et gladium, quasi necessarium justitiæ propugnatorem, maximis effert laudibus? Non jam hæc « saturæ » tantum propria sunt, sed et veræ comediæ.

Farsas quoque nominantur Ecglogæ duæ quas de Nativitate *Lucas Fernandez* composuit, sed, quamvis sanctissima in materia versentur, longe tamen absunt ut ab omni *Celestinæ* imitatione se expediant. Quarum enim prioris personæ *Pascual, Lloreinte, Juan Pedroque Picado* improbissimis facetiis, sicut *Sempronio* et *Parmeno*, divinarum rerum doctrinam immodica lingua miscere solent. *Celestinæ* memoriam multo magis tenebis si posterioris de Nativitate « saturæ » primam partem evolveris. Nec plurimam ostentare eruditionem nec parum verecunda præ se ferre verba *Lucas Fernandez* dubitat dum Fernandi *de Rojas* vestigia prosequitur. Quid sermone licentius in quo Bonifacii aviam *Gil* ita depingit ut eam Celestina pejorem (« *peor que Celestina* ») fuisse confirmet? Ex quo apparet longe jam Tragicomœdiam *de Calisto y Melibea* dissipatam esse cum in Ecglogis etiam de Nativitate locum teneat et in fabulis quæ primum ad clericorum scenam componebantur novas et omnino profanas virtutes et vitia injiciat.

Duo sunt tamen rivi quorum aquas *Lucas Fernandez* nec deperdit nec e *Celestinæ* fonte haurit. Catholicæ enim religionis afflatus fictarumque studium historiarum tantum absunt ut omnino exstinguantur ut dramaticis ab operibus, quæ ad scribenda Hispanorum et Lusitanorum sermone *Gil Vicente* pari felicitate usus est, vim majorem mutuentur, nec minoris momenti quam picturæ a Fernandi *de Rojas* discipulis ad solam rerum veritatem traductæ in « aureæ » ætatis comediis futura sunt. *Celestinæ* certe imaginem in « saturis » agnosces quæ « *O Velho da horta* » et « *Auto das Fadas* » inscribuntur et lenam aut anum maleficis viventem artibus ante oculos ponunt. « Saturarum » *(Farças)* vero liber lusitana lingua quasi semper utitur, nec, si brevi extra regis *d. João* tertii fines egressus est, nulli generi nisi mimicis jocis quos « *entremeses* » Hispani nominant exempla præbere potuit. Quid de Tragicomœdiarum libro dicam quæ, exceptis « *don Duardos* » et « *Amadis da Gaula* », temporibus solum parent et aulicis præsertim accommodantur, cum reginam *d. Catherina* Lusitanorum primam urbem ingredientem *(Nao d'Amores*, 1527), aut regis *d. Manuel* filiam consecratam *(Templo d'Apolo*, 1526), aut regem ipsum *d. João* tertium sponsalia constituentem *(Fragoa d'Amor)*, figurato et ficto modo celebrare propositum habeant ? Ut opera talia, quæ machinatoris non minus quam poetæ artem desiderant, aliquas apud Hispanos partes tulerint, nihil ad comœdiam effingendam, si verum fateri volumus, valuerunt, sed in scenicis illis ludis magni momenti fuerunt qui a fabularibus historiis decora blanditiasque mutuantur et « *fiestas* » cognominatæ felicissimum, regnante Philippo quarto, exitum consecuti sunt.

Dissimili contra ratione dialogi de Nativitate existimandi sunt. Prætermittamus solum « *auto* » illum « *pastoril castelhano* » qui pastorum joca et facetias Johannis *del Encina* modo referre satis habet. Quæ enim, dum Italorum aut Gallorum sacrarum et figuratarum fabularum species aliqua in mente insidet, devotissina fide *Gil Vicente* composuit

novam faciunt viam quam ingressi hispaniensis comœdiæ principes lætissimos decerpent flores. « *Auto* » illum lege « *da Barca da Gloria* » qui nostrarum « Mortis Saltationum » memoriam refert tragicisque et tremendis versibus non commoveri non poteris quibus nullos in « *El Viaje del Alma* » graviores *Lope de Vega* scribet. Ne plura dicam, quid *Calderon* ad catholicam religionem illustrandam effinxit cui non præclarus « *Auto del Alma* » dignus sit qui comparetur ? Dramaticum vero genus illud et tam singulari præditum sapore non ante regem Philippum quartum ad frugem perveniet. Etenim neque *Juan Pastor*, neque *Yanguas*, neque *Suárez de Robles*, neque *López de Ubeda* scenicos clericorum ludos refovere valent. Illæ autem « saturæ » aut comœdiæ quas de Nativitate *Bartolomé del Castillo* aut *Juan Francisco Fernandez* componunt non ad priorum Ecglogarum exemplar feliciore modo revocantur quam dialogi omnes a *Pedro Gomez Cisneros* aut *Andrés de Quevedo* de Resurrectione scripti. Quo majorem *Celestina* exitum habet, eo minorem poetæ partem religiosæ doctrinæ tribuunt quam postremo profanæ facetiæ et munditiæ comprimunt et suffocant.

Magis contra magisque fictis et parum verisimilibus fabulis student quibus in Comœdiarum libro et in duabus Tragicomœdiis « *Dom Duardos* » et « *Amadis da Gaula* » *Gil Vicente* indulsit. Nunc puellam videmus in Hispania nascentem et cum Syriaco principe in Creta junctam (*Rubena*); nunc regis filium servili indutum veste nec utram humilium sororum vehementiore prosequatur amore nisi in extrema parte decernentem (*Comedia do Viuvo*) ; nunc portentosa et mirifica eventa quæ urbi cuidam insignia attulerunt (*Comedia sobre a Divisa da Cidade da Coimbra*) ; nunc insanas fraudes quibus mercator, rex, regia virgo, Cupidoque ipse vicissim decipiuntur (*Floresta de Enganos*) ; nunc denique amentissimas commenticiarum fabularum (*Dom Duardos* et *Amadis da Gaula*). Quæ omnia Hispanorum ingenio aptius congruebant quam ut, extra Lusitanorum fines vix egressa, non ita florerent ut in eorum comœdiis

magnum consequerentur locum. Valde igitur *Celestinæ* exemplis contraria *Gil Vicente* imitanda præbuit, quod certo te desiderio afficiet si quidem tecum reputaveris nulla eum in parte majore fuisse in jocando lepore quam in « saturis » cujus momentum quasi nullum in Hispania evasit. Facetias enim quibus fæneratores, medicos, astrologos et monachos irridet recentiores grammatici meditabantur qui, verborum immoderatione elati, Moliero nostro Lusitanum comicum comparare non dubitaverunt. Hoc vero feliciter evenit quod apud Hispanos incredibiles fabulæ veritatis studio non nimio primum fuerunt detrimento. Decimi enim et sexti sæculi scriptores, sive versibus, sive soluta usi sunt oratione, Fernandi *de Rojas* artem aliquo modo servaverunt et poetis tradiderunt qui a *Lope de Vega* profecti in veris et ingenuis sicut in fictis et falsis rerum et hominum imaginibus depingendis tot et tam diversas comœdias certatim composnerunt.

Nonne mores et ingenia viva jam veritate ille imitatur qui *Propaladiam* scripsit et primus comœdiæ ab Hispanis « *de capa y espada* » dictæ propemodo perfectam figuravit formam ? Cum autem Italici poetæ æque ac *Fernando de Rojas* apud Bartolomeum *Torres Naharro* multum valuerint, operæ pretium est quid Romanorum ille et Neapolitanorum societati debuerit ante omnia inquirere. Mihi quidem videor in *Propaladia* subtiliores interdum videre colores quibus a Petrarcho ejusque discipulis amores depinguntur, neque possum quin italicorum grammaticorum doctrinam memorem dum in fabula disponenda justum et legitimum admiror ordinem.

Quo modo exquisita et eximia amoris et pulchritudinis species e lyricis Italorum versibus in dramaticos Hispanorum dialogos transierit facilius intelliges si opusculum illud legeris quod « *Cuestion de Amor* » inscribitur et inter annum MDCVIII et annum MDXII compositum est. Ne curemus qua veritate Neapolitanorum aulicorum vitam depingat, ad sermones tantummodo et epistolas nos

conferamus quæ de amatoria lite disputant. Dilectam *Vasquirano* Violinam amisit qua rapta in Siciliam confugerat. Amicus autem ejus *Flaminio*, cui ne spes quidem ulla ostenditur, continuo et dolendo amore Belisenam quamdam prosequitur cujus nominis umbra Isabellæ Aragonensis filia, *Bona Sforza* tegitur. Uter amantium illorum miserior est ? Ea est materia de qua subtilioribus sæpe sed aliquando miserabilibus sententiis perdiu disseritur. « Flaminii cruciatus, inquit *Vasquirano*, quomodo meis conferantur cum in Neapolitani regis aula illi saltent et canant, hi contra domi gemant et lacrimentur ? — Tu saltem, respondet *Flaminio*, felicitate fruitus es cui nihil æterni natura rerum concedebat. Deliciarum igitur finem quod subitum vidisti tu quereris, ego vero quod molestiarum nullum finem video ». Qua ratione elaborata illa concinnitas affectataque circa verba subtilitas a vera humiliorum rerum imagine haud abhorrere possit jam in Ecgloga perspicies quæ in « Quæstione *de Amor* » die festa agitur (1). Cum enim *Flaminio* qui Torini partes defendit Petrarchi et Johannis *del Encina* (2) discipulus esse videatur dum acerbo dolore dolet et mortem vehementius requirit, amantis tormenta, quibus nihil nisi rabiosi canis morsus similius esse prædicat non minus *Guillardo* irridere dubitat quam *Quiral* cui haud magnæ formidini amor est quo multi verbo tantum nec re ipsa exanimes fiunt. Talibus utebantur facetiis *Sempronio* et *Parmeno* et ad eorum exemplar *Zambardo* pastor (3).

Talia quoque in Bartolomei comœdiis sententiis delicatissimis finitima reperiuntur. Quod primo exquisitius in amore depingendo italici poetæ scripserunt in comœdia *Jacinta* interdum agnoscitur. Cum enim fabula tres pere-

(1) Ecloga illa longe abest ut sola in italicam scenam ante *Torres Naharro* inducta sit. Alia enim, quæ « *Placida y Vitoriano* » fuisse videtur, Romanis in ludis anno MDXIII haud parvum habuit locum.

(2) Cf. Ecglogam *Fileno* (*Cancionero* 1509).

(3) Magnas *Zambardo* agit partes in Ecgloga *Fileno*.

grinos juvenes vicissim advenientes, e quibus unum vicini castelli domina conjugem eligit, inducere satis habeat, mediocrem apud nos gratiam consequitur. Incredibilem contra capimus voluptatem e mollibus blanditiis quibus quasi vera religione mulieres honorantur. Quid enim Jacinti verbis dulcius et suavius? « Virtutes nostras, inquit, mulieres nos docent qui nihil illas nisi vitia docemus... Si quidem mulier aliquo te prosequitur amore, quam mœsta et flebilis dolentem te circumvenit, rogitat et consolatur!... Ne lacrimarum quidem gratiam referre potes quas domi in angulis effundit omnibus. » (1)

Mulierum rursus patrocinium *Torres Naharro* in comœdia *Serafina* suscipiet (2) et eadem sustinebit venustate. Gram-

(1) « Nuestras virtudes hallamos
ser las que aprendemas dellas,
sus maldades ser aquellas
que nosotros les mostramos...
pero digamos de alguna
que tiene un poco de amor,
con quanta pena y dolor
por poco mal que sintais
anda y torna en derredor
demandando os como stais
diziendos que le mandais
consolando os.....
porfiando os que comais...
su comer y su bebida
sospiros, lagrimas son...
no puede ningun varon
pagalle complidamente
las lagrimas solamente
que dexa en cada rincon.....
sus cuydados,
sus grandezas, sus hazañas
son servir a sus amados »
(*Comedia Jacinta, Jornada quarta*)

(2) « De mujeres blasfemamos
los que malas las hacemos ;
Un error suyo diremos
y dos mil nuestros callamos.
Nosotros los engañamos
con palabras y argumentos,
y nunca estamos contentos
sino cuando las burlemos. »
(*Comedia Serafina, Jornada tercera*)

maticis vero italicis non minus quam poetis gratiam referre debet. Etenim ab eis ita dramaticæ artis præcepta edoctus est ut dialogo usus sit qui nec, sicut in prioribus Ecglogis, exilior, nec sicut in *Celestina*, nimium copiosus et redundans esse videtur, comœdiæque hispaniensis aptam compositionem et veram formam primus descripserit. *Propaladiæ* « procemium » si evolveris, Aristotelis discipuli cujusdam commentaria in manibus habere putabis. Comœdiæ enim quatuor esse partes *Torres Naharro* affirmat (scilicet prothesim, catastropham, prologum et epithasim), nullamque perfectam esse fabulam prædicat quæ non e quinque constet actibus. Quam disciplinam frangere *Lope de Vega* ejusque discipuli non dubitabunt, sed haud majore in spatio sua includent opera. Plurimum ceteroquin profecissent si Bartolomei consilio paruissent, personarumque et temporum æquiorem duxissent rationem : « Ne quid servus dicat aut faciat quod domini proprium sit, nec item contra. » (1) Grammaticis etiam *Torres Naharro* obtemperat a quibus uno et loco et tempore utendi necessitas comico poetæ imposita est. *Divinam* igitur suam in publicam viam inducit ne priorum personarum sedem mutet, (2) nec in comœdia *Imenea*, tot et tam mirificis rebus implicata, plus consumit quam viginti et quatuor horas.

Quamquam Italicis poetis et grammaticis multum *Torres Naharro* debet, nemo tamen de eo melius meruit quam *Fernando de Rojas*. Non enim e *Celestina* quid, ut ita dicam, comœdiæ corpus deceret, sed quid animum ipsum didicit. Neglecta autem ejus « *Trofea* » quæ nihil aliud propositum habet quam Lusitanorum regem *D. Manuel* publicis celebrare landibus (3), in tres partes oportet dramatica *Propaladiæ* opera distinguas. Comœdiæ primum *Aquilana* et *Calamita* non simul ac ceteræ in vulgus emissæ sunt et e

(1) *Prohemio.*

(2) *Comedia Jacinta.*

(3) Forsitan comœdia *Jacinta* ad Tragicomœdias componendas apud *Gil Vicente* nonnihil valuerit.

fictis portentosisque constant fabulis quibus *Lope de Vega* ejusque discipuli indulgebunt. Peregrinum in « *Aquilana* » videmus qui, Hispaniensis et regiæ virginis amore captus, prope est ut cum dilecta puella pereat eodemque ipso tempore Hunnorum regis filius et sponsus renuntiatur. Non minus contra fidem « *Calamitam* » esse existimabis si Romuli casum audieris. Ille enim Siculæ civitatis princeps quinque filias ægre ferebat proximamque filiam se occisurum esse juraverat. Pastoris igitur filio in ejus locum substituto, sextam mater filiam servavit quam Calamitam esse jam intellexisti. (1)

Celestinæ tamen imitationem usque inter insolitas illas et mirificas fabulas facile dispicias. Duo enim in *Aquilana* horticultores, Felicinæ famula et Aquilini minister veris depinguntur coloribus quibus jam *Fernando de Rojas* usus est. Jusquini quoque in « *Calamita* » artificia a Sempronii fraudibus haud multum abhorrent. *Floribundo* certe et *Calamita* nec amoris nec honoris gravem et variam speciem præbent qua *Calisto* et *Melibea* in æternum illustrantur; rerum vero familiarium facetas et ridiculas imagines *Torres Naharro* descripsit quæ in *Celestina* non humiliorem locum tenerent. Torcazi enim stultitias lege aut Libinæ et Escolaris sermones, licentioraque sed vivida et nitentia miraberis verba. Sic loquebatur Celestina cum ardenti Calisti famulo possidendæ Areusæ spem ostendebat et ad effectum adducebat.

Talia et magis improba in secunda *Propaladiæ* parte reperiuntur, id est in comœdiis quas « *a noticia* » *Torres Naharro* vocat. Cum enim in eis Bartolomeus rerum et personarum in quibus quotidie versatur ingenuam et exactam imaginem oculis proponere cupiat, Fernandi *de Rojas* artem et rationem usurpat. Qua autem veritate in « *Soldadesca* » summi pontificis milites colliguntur! Non eisdem ac *Centurio* verbis, sed pari vaniloquentia et minime dis-

(1) Similem reperias fabulam apud *Lope de Vega*. Cf. *El Palacio confuso*.

simili intemperantia *Guzman* gloriatur. Ubi deinde potius quam in « *Tinellaria* » melius perspicere possis quo vastationum, flagitiorum et luxuriarum cardinalis famuli tum pervenirent? Naturam ipsam ita Bartolomeus imitatur ut viginti et duarum personarum varietatem quatuor nativorum sermonum diversitate et familiaritate interpretetur. Fabula vero in disponenda multum e nono actu assumit in quo convivium Celestina instruit et celebrat; jintaculum enim primo, prandium deinde, denique cœnam explicare satis habet. Convivæ quidem alii sunt, iisdem vero depinguntur coloribus. Quin *Barrabas* Celestinæ verbis utitur ad Lucretiæ illecebras explanandas. « Vetulæ gallinæ, inquit, unctissimum cibum parant ». A lenarum quoque regina ad Matiam mercede adstringendum certissimum modum mutuatur quo quasi firmissimo vinculo *Parmeno* devinctus est. Quid multa? Nihil lascivum et religionis specie celatum Celestina loquitur quo non impuriora et magis impia sint quæ in tertio actu *Godoy* et *Moñiz* proclamant ut mensam benedicant.

Felicem denique naturarum imitationem in comœdiis laudabis quas extremas reposui. Quæ quamquam a Bartolomeo « *a fantasia* », id est de re ficta denominantur (1), sinceram nihilominus vitæ imaginem præbent nec a ceteris ullo discrimine discernuntur nisi fabularum nova et magis dramatica virtute. « *Serafinam* » tamen fateor quid veri simillimum sit non semper quærere. Hispaniensi fortasse sed non humano animo *Floristan* ornatus est qui, ut Serafinam recuperaret, innocenti et adhuc intactæ Orfeæ confessionis et mortis necessitatem imposuisset si opportuno tempore *Policiano* non rediisset morituramque fratris conjugem pro sua vindicasset. Quid de monacho Teodoro dicam? Celestinæ profecto depravatos et perditos mores et sermones sibi

(1) Hæc sunt Bartolomei verba : « a fantasia, de cosa fingida, que tenga color de verdad aunque no lo sea, como son *Serafina, Imenea.* »
(Propaladia, Preliminares).

sumit, libentius vero nefaria et infanda mandata exsequitur quam ut contra fidem haud evadat. Pejor est famulus ejus, « frater » *Gomecio* qui Deum implorare non dubitat ut in lecto suo Dorosiam famulam « in sæcula sæculorum » collocare velit. Attamen « *Serafinam* » non est parvi æstimanda ut quæ personam jam a Fernando *de Rojas* adumbratam et fatis insignibus debitam in clarissima luce collocaverit. Famulum dico comicum qui postea « *gracioso* » vocabitur et quem immerito suum esse *Lope de Vega* prædicabit (1). Nonne enim *Lenicio* acuto et faceto modo eas agit partes? Quid salibus amarius quibus Teodorum irridet? Quid sententiis verius et venustius quibus mulieres rudibus perpugnacium militum moribus captas insectatur et cavillatur? « Transeuntem, inquit, canem si nunc perfoderim, videbis quot ego cum cruentato gladio blanditiarum et risuum ab ea sim accepturus. Sponsione te provoco eam inducula usuram esse ut frontis meæ sudorem abstergat, dominique mihi et regis nomina impposituram. » Neminem *Lenicio* facetiis intactum relinquit, nec præsertim Gomecium. Cui cum persuaserit brevi eum a Dorosia amatum iri vincula injicit et ridicula et magica carmina dicit (*certum*, *bertum*, *calabazas*, *garabatos*, etc.) quæ *Calderon* et post eum *Thomas Corneille* longe aberunt ut despiciant. (2)

Vera jam est et quasi perfecta comœdia « *de capa y espada* » *Imenea* illa quæ priorum Ecglogarum nihil nisi cantilenam « villancico » dictam retinet, materiam autem e Tragicomœdia de *Calisto y Melibea* eruit. Imeneum enim juvenem videmus qui duobus comitatus famulis nobilis Febeæ fenestras nocturna symphonia ornat et a puella mollissimis precibus impetrat ut in ejus domum proxima nocte se insinuet. Quæ tum ille exposcit et illa recusat concinnis et aliquando subtilioribus verbis dicuntur quibus nihil magis est comparandum quam primi Calisti et

(1) Cf epistolam quam primis comœdiæ *Francesilla* verbis *Lope de Vega* adjecit.
(2) Cf « *El Astrologo fingido* » et « *Le Feint Astrologue* ».

Melibeæ sermones. Febea vero, quia non a Celestina aliqua paulatim corrumpitur, Imenei ardori nimia festinatione indulgere videtur. Personam tamen *Torres Naharro* formavit quam et suam et maximi esse ponderis prædicare potest. Marchisus enim, Febeæ frater, ita honori suo inservit ut sororem intenta cura asservet illicitoque in sermone deprehensam haud dubitanter occisurus sit. Nonne multas in « aureæ » ætatis comœdiis personas invenies quæ ex illius ore quasi imagines exprimentur ? Cetera vero Bartolomeus e *Celestinæ* fonte hausit. Imo hoc inter famulos Boream et Elisum interesse voluit quod et inter Sempronium et Parmenonem. Alter enim ex alterius animo ultima evellit scrupula, uterque dominum peculiari illo et acuto modo irridet quo post Fernandum *de Rojas* omnes hispaniensis comœdiæ famuli non utendi finem facient. Tertium *Imeneæ* actum vel potius, ut Bartolomei verbo utar, diem lege, Dorestæque in verbis Boream et Turpedionem vicissim cavillantis nescio quid tibi videre videberis quod non multum a Calderonis sermone abhorret. Duodecimum contra *Celestinæ* actum animo colliges cum Imenei ministros trepidantes videbis primoque tumultu fugientes. Febea etiam, postquam in amorem effusa est, Melibeæ ardorem ostendit cui jam *Calisto* omnia et vitæ gaudia et culpæ patrocinia solus est. At *Fernando de Rojas* ad hominum mores depingendos majorem adhibuerat et varietatem et veritatem. Nemo nihilominus magis et melius quam *Torres Naharro* ejus arte usus est quippe qui dialogi flamman nitoremque imitatione consequi valuerit et diversæ intermixtæque societati in qua versatus est veris describendæ coloribus haud impar evaserit. Nec amorem sane, nec honorem vividis et tragicis effinxit imaginibus quibus interdum Tragicomœdia de *Calisto y Melibea* tantopere illustratur. Honoris enim hispaniensis Marchisus in « *Imenea* » solus est qui vividam speciem præbeat ; amoris autem voluptates *Jacinto* et *Floristan* mollioribus et subtilioribus sententiis exprimunt. Verumtamen *Torres Naharro* (quæ laus non est mediocris) primus intellexit quo poeta modo fictis et falsis

veras et genuinas res miscere posset et ad ecgloga graviorem formam et etiam ad antiquorum grammaticorum præcepta dramaticam accommodare materiam quam in « *Celestina* » frementem sensimus.

Minus felices, fateor, in imitando fuerunt qui in sexto decimo sæculo Bartolomei vestigia secuti sunt. Non enim quid in ejus comœdiis verisimilius esset et severiore ordine dispositum sui juris facere conati sunt sed quid magis contra fidem aut pudorem appareret. Quamobrem *Jaime de Huete* in *Tesorina* sua Bartolomeum magnis cumulat laudibus nisi quod ejus vitia ita amavit ut nihil improbi scribere recusaverit? Improbiora tamen scripsit *Cristobal de Castillejo* qui in « Satura » *de la Constanza* ad summam licentiam pervenit? Quid probrosius maritis illis qui uxores maledictis et contumeliis vexant et inter se denique commutant? Nihil sermone magis pudendum esse prædicarem in quo de matrimonii jure et officio disseritur, si « religiosi » objurgationem a presbytero exspostulatam prius non legissem. Nihil enim magis impurum et corruptum Celestina dixit ut homines in venerem ruendi necessitatem doceret. Sunt tamen mimico illo in joco quæ et ridicula et politissima haberi possint et etiam ad Molieri nostri « saturas » cogitationem interdum referre (1).

Talia et laudanda et præsertim vituperanda in comœdiis apparent quæ tum, ut « *Hipolita* » et « *Serafina* », ab incertis auctoribus scriptæ sunt (2), Fernandique *de Rojas* aut Bartolomei vitia, id est nimiam eruditionem et licentiam præcipue imitantur. Nullius autem ponderis sunt qui antiquorum comœdias aut tragœdias in hispaniensem linguam transferunt. Docti saltem nostri ejusdem ætatis *Jodelle*, *Belleau*, *Grèvin* et *Garnier* publicum constituere theatrum cupiebant, et, licet discipulorum solum et grammaticorum plausus excitarent, dramaticum genus tuebantur quod a

(1) Si, exempli gratia, Antonis et Marinæ primo in Actu jurgium legeris, comœdia subito tibi in mentem veniet quæ « *Le Médecin malgré lui* » inscribitur.

(2) Valencia, MDXXI.

Gallorum ingenio minime abhorrebat. *Francisco* vero de *Villalobos*, *Fernan Perez de Oliva* ceterique nihil propositum habent nisi scholasticorum modo verbum verbo reddere aut in græcis et latinis exemplariis transferendis affectatas arcessere similitudines. Nullo igitur modo valuerunt ad fingendam et accrescendam Hispanorum comœdiam.

Magno contra modo valuit fictarum et parum verisimilium fabularum studium cui quamquam *Fernando de Rojas* repugnavit Hispani tamen magis magisque indulserunt. Nec ullum meliorem inveniam testem quam bractearium illum qui a *Cervantes* haud immerito « magnus » dictus est ut qui hispaniensi theatro favorem ad vulgus primus conciliaverit. Manifestum est *Lope* illum *de Rueda* « *Celestinam* » perlegisse cujus plerumque vividos colores et dilucidum sententiosumque dicendi genus referre videtur. (1) Ab Italis quoque auctoribus, Bartolomei modo, sed non ab iisdem *Lope* noster nonnihil mutuatus est. Neglectis enim poetis, scriptorum vestigia secutus est qui, sicut *Bandello*, fabulas subtiles et non a dramaticis abhorrentes soluta oratione narraverunt. Quæ cum diversa et aliquando absona imitatione referenda sibi proposuerit, quid demum effecit et hispaniensibus poetis tradidit qui ad theatralia opera componenda ab eo profecti sunt ?

Tres partes et inter se dissimillimas in editione oportet distinguas quæ ab ejus amico et discipulo Johanne *de Timoneda* anno MDLXXVI in vulgus prolata est. Duodecim primum fabellas « *pasos* » dictas in ea invenies quæ Fernandi nostri artem in humilioribus personis depingendis mira felicitate et novitate usurpant. Non enim tantum Centurionis memoriam *Siguenza* revocat quantum propria eminet vaniloquentia et ignavia. (2) Neque *Sempronio* neque *Par-*

(1) Quid, verbi gratia, *Siguensa* famulus Sebastianæ meretrici turpius exprobrari posse prædicat nisi matrem ipsam quæ altera fuit Celestina, « *una segunda Celestina* » ? Cf « Paso » illum a *Moratin* « *El Rufian Cobarde* » nuncupatum (« *Origenes del teatro español* », *Biblioteca de Autores españoles, Madrid, Rivadeneyra, 1848, tomo* II).

(2) Cf *El Rufian cobarde.*

meno magis vividis exprimuntur imaginibus quam heluones aut fures quorum doli tot cachinnis a legentibus excipiuntur. Quoties vel ministri vel mariti habitu stultus ille « *simple* » nuncupatus inducetur, nisi gravi et melancholico morbo laboraveris, risum tenere frustra conaberis. Quid tandem ? « *Pasos* » hos, quibus antea nihil similius est quam *Auto* ille *del Repelon* a Johanne *del Encina* compositus, multi postea in tabellis « *entremeses* » dictis imitati sunt, nemo vero, ne *Luis* quidem *de Benavente*, aliquid scripsit cui non digna sint quæ conferantur et Dialogus « *sobre la invencion de las calzas que se usan agora* » et præsertim « *Las Aceitunas* ».

Facetissimos illos sales in duobus colloquiis (« *Coloquios* ») frustra quæras quæ, quamvis interdum simplicibus et ingenuis illustrentur imaginibus, figuratis et amentissimis fabulis plerumque indulgent. Quid enim in *Coloquio de Camila* videmus nisi puellam a tonsore ambitam qui ab ea postremo pater nominabitur, et pastorem juvenem qui paternis manibus interficeretur si Fortuna dea opportuno tempore non interveniret ? Plura certe dici possent ; sed hactenus dictum sane videbitur.

Ficta quoque, nec ita absurda et verissimis etiam picturis mixta, in quatuor comœdiis reperiuntur cujus apud Hispanos magnum fuit pondus. Cum enim « *Medora* » duos inducat liberos quorum alter a puero raptus domum redit mulieri habitu indutus et sorori ipsi magis terrori est quam esse debet, quid inter ejus fabulam et tot alias interest quibus *Lope de Vega* ejusque discipuli utuntur et delectantur ? Magis, fateor, veritatem et fidem « *Armelina* » excedit quæ vicissim pueros raptos, mutatas vestes, piratasque et magos oculis nostris proponit, nec tamen nihil poetæ *Montalvan* imitatione referendum præbuit. Nonne et *Lope de Vega* et *Montalvan* tibi duas illas comœdias legenti occurrunt quarum quasi primam speciem Italis *Bandello* adumbratam obtulerat ? Quæ est enim *Eufemia* nisi infinitarum puellarum exemplar quæ, ab illa « *Duquesa de Amalfi* » (1)

(1) Cf *Lope de Vega : « El Mayordomo de la duquesa de Amalfi ».*

usque ad nostram « *Lauram* » (1), semper falso insimulatæ crimine Hispanorum et Gallorum misericordiam variis nominibus commovebunt ? Non aliter denique de notissima et « *Los Engañados* » dicta comœdia existimandum est quam, ne plures referam, apud *Montalvan* iterum expressam agnoscere potes. (2)

Non ita tamen Italicos scriptores *Lope de Rueda* in comœdiis suis imitatus est ut fictis eorum fabulis unice incubuerit. Quæ contra et tunc erant et hodie sunt magis vivida et ad spectantis delectationem apta, ea Fernandi *de Rojas* modum et artem renovant. Nusquam, fateor, quamquam Lelia (3) amantis oblivium non sine misericordia deploratur, et Eufemia falsum sibi imputatum crimen summa vi obterit (4), tragico affectu diu animus tuus concitabitur. Quos vero cachinnos et quam non solum mimicorum sed comicorum aliquando ludorum proprios tibi famuli elicient, sive *Melchor* illis ridiculis facetiis utitur quibus ad Claudinam depingendam Celestina jam usa est (5), sive *Guiomar* et *Julieta* maledictis inter se certant (6). Duo sunt apud *Lope de Rueda* ministrorum genera quæ nunc discreta, nunc in unum collata plurimum in « aureæ » ætatis comœdia viguerunt. Cum enim illi qui, sicut *Gargullo*, « *lacayos* » nominantur antiquorum servorum dolos et machinas sui juris faciant, hi contra qui ab illo « *simple* » *Ortega* proficiscuntur peculiaribus et vere hispaniensibus illustrantur stultitiis et ineptiis. Una denique est nec minus lepida persona quæ nec antea expressa esse videtur et postea non apud *Lope de Vega* sed apud *Francisco de Rojas* ita ad votum processit ut multis comœdiis nomen « *de figuron* » imposuerit : illum dico non tam ridiculum quam deformem calceolarium *Diego de Cordova* qui, ut Armelinam mollibus et exquisitis

(1) Cf *Rotrou* : « *Laure persécutée* ».
(2) Cf « *La Donzella de labor* ».
(3) Cf « *Los Engañados* ».
(4) Cf « *Fufemia* ».
(5) Cf « *Eufemia* ».
(6) Cf « *Los Engañados* ».

prosequatur blanditiis, puellæ virtutes et sutoriæ artis instrumenta in certamen deducit et inconsulta scurrilique dicacitate confundit et perturbat. (1). Quæ, etsi a simplicitate et veritate abhorrent, non in Hispania tantum floruerunt sed a *Scarron* apud Gallos importata sunt et diu probata (2), donec *Boileau* et *Molière*, præceptis ille, hic autem exemplis pro immanibus ejusmodi jocis humaniorem et urbaniorem risum eos docuerint.

Optime nihilominus de hispaniensi theatro *Lope de Rueda* meruit. Intermixtis enim joculatoriis fabellis et etiam saltationibus frequentem ad pulpita allexit populum quem « *Introyto* » suo delectatum et « *Argumento* » admonitum usque ad finem longioris et definitum quemdam ordinem servantis spectaculi ducere et retinere valuit. Non aliter majorum nostrum benevolentiam Alexander *Hardy* sibi conciliavit et dignus fuit cui magnas gratias posteriores et multo præclariores theatralium operum auctores deberent. Nonne summam quoque apud posteros gentis suæ poetas gratiam *Lope de Rueda* iniit, quandoquidem, veris ignobilium naturarum imaginibus fictisque Italorum fabulis haud inepte junctis, multorum plausus movit qui res inter se contrarias non tam in personarum verbis quam in ipsorum animis notissimas et carissimas reperiebant ? Quia vero ad caveam præsertim spectabat, neque comœdiis suis, sicut *Torres Naharro*, disciplinam quamdam aut saltem verisimilitudinem imposuit, neque e Celestina tragicam et graviorem amoris et honoris speciem eruere conatus est.

Tragicum magis qui ei successerunt interdum spirare videntur, non ita tamen ut a mira fabularum insolentia abstineant. Quæ contra magis fidem excedunt ea magis magisque spectantium favorem consequuntur. Ne spectacula e religione orta memorem (3), quorum ἀλληγορίαις et portentis

(1) « *Armelina* ».
(2) Cf. exempli gratia, « *Don Japhet d'Arménie* ».
(3) Cf. verbi gratia, *Jaime Ferrus* : « *Auto de Cain y Abel* » ; et *Francisco de las Cuevas* : « *Auto del Martirio de San Justo y Pastor* (1568).

spectacula « *autos* » postea dicta in septimo decimo sæculo redundabunt, quid apud Johannem *de Timoneda* aut *Alonso de la Vega* invenias nisi ficta et parum credibilia ? Divinum in « *Aurelia* » videbis annulum cujus duæ partes, multas post commutationes, in unam coguntur et simul turris ruinam trahunt qua collapsa regius thesaurus apparet. Quæ est tragœdia *Serafina* nisi fabulosa puellæ historia quæ nullum nisi Amorem ipsum amare in animo habet, quæ vero postquam ei feri duo homines catenas injecerunt Cupidinis sagitta tangitur nec prius e subitó et inaudito somno suscitatur quam dilectus juvenis mortem sibi arcessivit ? Ducem tantum in Comœdia « *de la Duquesa de la Rosa* » invenimus qui vere tragicas agit partes et Calderonis, honori feroci et cruento modo inserviendo, memoriam revocat. Quid vero canentium choris magis absonum qui e figuratis et incongruentibus personis constant ? Quid regii principis *Dulcelirio* dictis et factis magis fabulosum ?

Hæc tamen et alia non minus absurda publicum favorem sibi conciliant dum jam *Lope de Vega* in eo est ut quasi fax et stella appareat. Quibus enim Valenciani qui primi stabilem theatrum tunc constituunt spectaculis delectantur ? Eorum poetas *Artieda* aut *Virues* si legeris, nunc fabulosis equestrium heroum facinoribus intereris (1), nunc nihil ex Italicis scriptoribus erogatum agnosces nisi quod ad novos et vesanos rerum et personarum motus effingendos valeat (2). Tali quoque studio Sevillani flagrant talibusque dementiis delirant, qui, si comœdias ad disciplinam quamdam a *Malara* aut *Guevara* accommodatas non sine causa satis male excipiunt, theatralia opera in quibus *Juan de la Cueva* insanire videtur nimiis et immeritis plausibus consectantur. Quot enim in eis incantamenta aut spectra, quot virili vestitu mulieres indutæ, quot figuratæ personæ congeruntur

(1) Cf *Andrès Rey de Artieda* : « *Amadis de Gaula* » et « *Los Encantos de Merlin* ».

(2) Cf « *La Infelis Marcela* » quam ad comœdiam componendam nonnihil a poemate illo *Orlando furioso* dicto *Cristobal de Viruès* mutuatus est.

Quam incongruenter, permixtis antiquioribus et recentioribus locis et temporibus, ab Hispania in Africam et Scythiam et longinquiores regiones vicissim traducimur! Quibus ex mirificis et portentosis rebus quamquam Johannis *de la Cueva* fabulæ constant, longe sunt tamen ut ab eis *Lope* ejusque discipuli semper abhorreant. Ut, exempli gratia, *El principe tirano*, sic *No hay ser padre siendo rey* (1) ad exitum properat, nec non quædam ab *El Infamador* mutuatur *El Burlador de Sevilla* (2). Veterem quoque Sevillanorum poetam illi perlexerunt qui postea *El Bastardo Mudarra* (3), *Los Siete Infantes de Lara* (4) et *El Cerco de Zamora* (5) composuerunt.

Quid ex his inferamus oportet? Primo jam ætatis apud Hispanos « aureæ » dictæ ortu, num *Celestinæ* vestigia adeo poetæ deserunt ut veras rerum et hominum imagines referre dedignentur? Non ita se res habet. Fictarum sane et a quotidiano usu remotarum fabularum studio magis magisque Hispani indulgent, non ii vero facti qui scenicos ludos flocci faciant in quibus personæ viventium modo spirare videantur. Quos, verbi gratia, homines in mimis « *farsas* » aut « *entremeses* » dictis *Juan de Timoneda* colloquentes inducit nisi qui locum in *Celestina* jure ac merito sibi vindicare possent? Si ejusdem aut Alonsi *de la Vega* comœdias evolveris, famuli tibi occurrent qui eisdem ac *Sempronio* aut *Tristan* salibus et facetiis utuntur. *Juan de la Cueva* ipse, quamquam Nemesim, Somnum, Betim fluvium aliasque fabulares personas interponit, Celestinam laudare non dubitat (6) cujus incantamenta et machinas ad puellæ amoren Lencino conciliandum Teodora lena adhibet. Duo denique theatralia opera quæ vel maximi ante *Lope de Vega* æstimanda sunt *Rojas* nostri modum et

(1) Francisco de Rojas.
(2) Tirso de Molina.
(3) Lope de Vega.
(4) Hurtado Velarde.
(5) Diamante.
(6) Cf *Comedia del Infamador*.

artem sui juris facere conantur. Nihil enim antiquarum tragœdiarum nisi choros in *Josefina* sua *Micael de Carvajal* retinet qui *Celestinæ* aut *Propalladiæ* licentiora verba respuit, vividiora vero et festiviora usurpat ut *Jacob* suum Pleberii pietate instinctum et Zenobiam Melibeæ modo ardentem effingat. Comœdia autem *Prodiga* (1) multo magis Tragicomœdiæ *de Calisto y Melibea* memoriam revocat ut quæ juvenes de malis mulieribus et infidis ministris et ipsa præmoneat. Etenim *Prodigo* qui in ea primas agit partes militum quorumdam perfidia opprimitur qui a Centurione et ab illis in *Soldadesca* (2) inductis similitudinem ducunt, nec non, cum ad Brianam confugit, alteram Celestinam experitur, nec non et, velut *Calisto*, præceps ad terram datur, non sane vita, omni saltem re familiari expulsus. Ita fit ut « *Comedia Prodiga* » per septem actus producta qui brevitate illas a Lope de Rueda « *escenas* » dictas assequuntur æque ac *Celestina* veritatem redolet et simul magis presso et incitato modo procedit.

Quod exemplum si *Lope de Vega* ejusque discipuli assecuti essent, multum fortasse profecissent. Sexto enim decimo in sæculo nescio quem sincerum poetæ saporem fundunt quo multo magis delectamur quam fucatis horum odoribus qui ab illis profecti sunt. Secundum naturam sermonem tum scriptores enuntiant qui, velut *Rojas* noster, simplicem atque in promptu positum dicendi modum ad vividissimas res ingenue exprimendas adhibent (3). Qui contra septimo decimo in sæculo ingenium jactant, dum fictis et veritatem excedentibus fabulis inserviunt, arcessitis utuntur sententiis et jam deflorescentem et deminutam hispaniensis theatri

(1) Quæ comœdia a *Luis de Miranda* scripta est.

(2) *Torres Naharro.*

(3) Non sine causa grammaticus *D. Manuel Cañete*, dum mimum quemdam ab *Alonso de Salaya* compositum cum subsimili parte comœdiæ *El Amor y el Amistad* inscriptæ confert, veterem et obscurum poetam nescio quo ingenuo et flebili lenocinio notissimum et recentiorem *Tirso de Molina* interdum superare prædicat. (Cf *Teatro español del Siglo XVI*, Madrid, 1885). — Tale aliquid senties si, perlecta *Josefina* tragœdia, comœdiam «*Los Triunfos de Josef*» evolveris quæ a Calderone scripta esse putatur.

speciem ante oculos nostros obversant. Utinam et ipse *Lope de Vega* non omnia sua amasset et uberiori suæ facilitati diffisus esset! Fateor quidem, si non tam ille amentissima quam verissima concupisset, futurum fuisse ut omnium eruditorum consensu magis comprobaretur, minus vero Hispanorum amore. Quid tamen fecundissimus ille poeta artis adhuc retinet quam *Rojas* noster edidit et instituit? Quam denique partem in informando non Hispanorum solum sed et ceterorum Europæ populorum theatro *Celestina* jure sibi ac merito deposcere potest? Hæc, cum jam per notissimum temporis spatium eamus, breviter et ad summam explanare satis erit.

EPILOGUS :

QUO *Celestina* GRADU IN RECENTIORUM THEATRO HABENDA SIT.

Lope illum de *Vega* in legenda *Celestina* immoratum esse eaque nutritum esse opera ejus diversissima demonstrant. Non igitur opus est « *Doroteam* » longius memoremus quæ inter libros suavissimos quos unquam soluto sermone auctores Hispanienses ediderunt annumeranda est, quæque sedulo e *Celestina* similitudinem ducit. Nec aliud ante oculos exemplar *Lope* habuit cum illam lenam quæ in comœdia « *El caballero de Olmedo* » versatur effinxit ; nec eodem fonte minus ille « *Entremes de la Hechizera* » effluere videtur. *Lidonio* autem in comœdia *El llegar con ocasion* enarrat se ut iis rebus quas concupiat potiatur arte quadam usum esse qua *Calisto* uti soleat et auxilium ab anu officiosa petivisse. In « *Gatomachia* » etiam et in his versibus ridiculis quos edidit rarissimus ille poeta « *El fenix de los ingenios españoles* » dictus deprehenduntur quædam partes quæ in mentem Celestinam aut Melibeam revocent. Referre autem quam ejus discipuli hanc tragicomœdiam imitati sint supervacaneum videtur. In memoriam illum « *don Juan* » revocare satis erit a Marchione *de Mota* aliquid percontantem de matronis hispanis quæ quidem Celestinæ vestigia sequantur (1). Meretrix enim et lena a Calderone tantum ex his fabulis præcipue regi Philippo IV ejusque aulicis scriptis amoventur ; nec tamen jure affirmare licet illam *de Calisto y Melibea* tragicomœdiam nihil in ipsius poetæ theatro valere.

Merito igitur contendere licebit « aureæ », ut ita dicam, ætatis comœdias multum a dramatico Fernandi nostri opere mutuatas esse. Nonnullæ enim personæ quas vulgo *Lope*

(1) Cf *Tirso de Molina* : « *El burlador de Sevilla* ».

ejusque discipuli adhibent, etsi quasdam nec semper felices præferunt mutationes, originem tamen ducunt ab illis figuris quæ in *Celestina* versantur; et, ut quædam exempla usurpemus, nonne *Calisto* maximam sui partem illi personæ quæ « *galan* » perhibetur præbuisse videtur, quamquam alienus sit ab illo nimis exquisito et quibusdam quasi calamistris inusto sermone quo multo libentius « *galan* » ille utitur. Nec infelici et dulcissimæ Melibeæ præstant, quamvis eximio eniteant lepore, « *damas* » illæ solitæ apud recentiores poetas e reticulata fenestra amantis cantum auribus exhaurire aut mutata veste et vultu in tristitiam composito infidum juvenem insectari. Quis autem in horto Pleberii de amore suo tanta cum dulcedine colloquentes impares dicere dubitabit notissimis amantibus, et illis etiam « *Romeo et Juliet* », quibus in posterioribus comœdiis delectati sumus? Nec satis; dicam enim plane quod sentio. Cum Calderonis personæ exquisitius sentire et subtilius loqui videantur, majore nos detinent gaudio illi Fernandi nostri adolescentes in quibus sinceræ et ab arte fucata remotissimæ illecebræ eminent.

Nobis vero ad famulos respicientibus tale quidquam reperietur: nempe hos recentiorum comœdiarum ministros sibi pro virili parte *Fernando de Rojas* vindicare poterit. Nonne sunt et ipsi cum arrogantibus verbis ignavi, et in respondendo alacres, et edendo voraces? Quin etiam, qui « *gracioso* » dicitur, quo magis in dies popularis fit, eo clarius in lucem profert has duas contrarias ex quibus conflatur partes, quas præcipue adamavisse Hispanos constat, scilicet illam Sempronii et Parmenonis rusticitatem et illum ad sublimia tantum tendentem ardorem quo *Calisto* rapitur. Nec satis; interdum et *Fernando de Rojas* desiderium sui relinquit. Non enim tam Hispanorum ingenio consentanea quam omnem veritatem excedentia *Calderon* ante oculos nostros obversat qui sæpe in comœdiis suis quasi duas et inter se pugnantes fabulas intermiscet quarum altera amantes dominos delicatissimis virtutibus extol-

lit, altera vero eosdem nimia ministrorum imitatione ridiculos factos irridere videtur. Quid denique de meretricibus Elicia et Areusa dicam quæ alio nomine vocatæ nobis in posteriorum comœdiis poetarum occurrunt, ut est, si exemplo opus est, Fenisa vel Gerarda (1), quæque ut exquisitioribus ita valde a natura recedentibus verbis ab amatoribus suis coluntur ?

Has saltem personas quæ in theatro plebeculæ partes obtinent imitatione sæpius assequentur et quasi sui juris facient auctores illi qui copiosius res hominum tenui censu vel e media turba arcessitorum diversissimas soluta oratione enarrant ; sed ideo *Lope* et ejus discipuli anteriores poetas superant quod non solum humili loco natos depinxerunt, sed etiam eisdem ac *Fernando de Rojas* nervis, ut ita dicam, et lacertis vires fabulis suis dederunt quas, dum æqualium moribus imitatione referendis inserviunt, validiores etiam et pluribus rebus exprimendis exercitatas confirmaverunt. Inter enim amorem colendum et famam defendendam tempus terunt personæ sive quæ posteriorum poetarum fabulis, sive quæ Tragicomœdiæ de *Calisto y Melibea* intersunt. Nonne ex amore originem ducunt et callidi doli et subtilia responsa quibus Belisa Teodoram amitam custodiæ suæ deditam decipit ? (2) Quidquid dicunt vel sentiunt, quidquid timent vel sperant Leonora et Blanca (3) ex eodem fonte oritur ; amor, ut inter Vestales confugiat, stellam illam Sevillanam (4) hortatur et ducissam *de Ferrara* (5) ad scelus et ad mortem impellit ; amore adhortante lascivit doña Angela (6), in errores sollicitos deducitur *Lisida* (7) ; dulcedine tandem amoris capitur *Clara Malec* (8) casta simul et amans. Amori autem quasi obvius fit honos

(1) Cf *Lope de Vega : El Anzuelo de Fenisa* et *La Discreta Enamorada.*
(2) *Lope de Vega : El Acero de Madrid.*
(3) *Lope de Vega : La mañana de San Juan.*
(4) *Lope de Vega : La Estrella de Sevilla.*
(5) *Lope de Vega : El Castigo sin Venganza.*
(6) *Calderon : La dama duende.*
(7) *Calderon : La banda y la flor.*
(8) *Calderon : Amar despues de la muerte.*

cum tristi comitatu et scelerum et luctuum. Lex enim honoris tuendi hominibus imponitur dura et inexorabilis, et quæ illos conserere manus et de vita dimicare sæpius cogat, et mulieres, dummodo in suspicionem aliquam inciderint, in di. crimine vitæ adducat, seu ab iis conjux, seu pater, seu frater pœnas repetat. Sic amor et honos inter se oppositi et discordes nobis spectaculum proponunt quod miseratione movet et detinet, cujusque primum exemplum et primam, ut ita dicam, figuram Tragicomœdia *de Calisto y Melibea* dederat.

Qui quid efficere possent utinam *Lope de Vega* plenius expertus esset! Digni enim erant qui soli ad recentiorum theatrum invalescendum omnes nervos intenderent. Quorum vero robur fregerunt aut corruperunt amentissimæ illæ fabulæ quæ quo magis a quotidianis et verisimilibus rebus abhorrentes imagines expresserunt eo plures plausus sustulerunt. Fateor quidem in illis ipsis comœdiis, velut in speculo, Hispanos sibi, ut ita dicam, arrisisse, risu vero qui ceteris gentibus os eorum detorquere visus est. Quin etiam, qui a Calderone profecti sunt ita populi vitiis indulserunt ut, omni exuta humanitate, ea solum quæ Hispaniam redolerent augendo retulerint. Sic hispaniensis comœdia defloruit quia fictas præsertim res et a veris remotas assecuta *Celestinæ* vestigia magis in dies deseruit.

Qui autem et quo modo excellentem theatralium operum speciem primi absolverint alio loco enodatius explicavimus (1). Hæc igitur omnia paucis verbis referre sat erit. Quid enim ad informandum recentiorum theatrum Itali valuerunt? Ne eorum tragœdias memorem quæ Senecam pleræque turgidis sententiis corrumpunt, in comœdiis etiam quæ magis e *Celestina* similitudinem ducunt (2) nihil invenias nisi aliis alias implicatas fabulas et quo voluptatibus et mollitiis pleniores eo licentiores et praviores. Hispani autem longe

(1) Qua in materia versatur thesis nostra : « *La comedia espagnole en France de Hardy à Racine* ».

(2) Cf. *Ippolito Salviani* : « *La Ruffiana* » et *Pietro Aretin* : « *La Cortigiana* ».

absunt ut nimiam eruditionem et immodicam lasciviam quibus *Celestina* inficitur emendaverint et respuerint. Galli tantum quid nobis in Tragicomœdia *de Calisto y Melibea* novi et dramatici visum sit sui juris fecerunt et ad summum perduxerunt, quippe qui personas humaniore vultu præstantes, fabulasque iisdem nervis vigentes pressiusque et simplicius ad exitum properantes spectantium auribus obtulerint. Quæ cum ita sint, nihil de nostra gloria detraximus quia primas recentioris et Europæi theatri lineas ab Hispano *Fernando de Rojas* ductas esse prædicavimus.

APPENDICULA

I. — Hæ sunt *Celestinæ* præcipuæ editiones et translationes :

1° Editiones : *Burgos* aut *Medina del Campo* 1499 — *Salamanca* 1500, 1502, 1558, 1569, 1570 — *Sevilla* 1501, 1502, 1523, 1534, 1536, 1539 — *Zaragoza* 1507 — *Milano* 1514 — *Venezia* 1515, 1525, 1531, 1534, 1535, 1553, 1556 — *Toledo* 1526, 1538 — *Valencia* 1529 - *Genova* 1538 — *Amberes* 1539, 1545, 1595, 1599, 1601 — *Cuenca* 1561 — *Alcala* 1563, 1569, 1586, 1591 — *Madrid* 1595, 1601, 1619, 1822, 1849 — *Pamplona* 1633 — *Rouen* 1634, 1644 — *Barcelona* 1842.

2° *Celestina* ex Hispanorum sermone translata est :

1. — In Romanorum linguam a Gaspar Barth. Cf. *Pronoboscodidascalus latinus*, 1624.

2. — In Anglorum sermonem a James Mabbe.; Londres, 1631.

3. — In Germanorum sermonem a Cristoff Wirsung, *Augsbourg* 1520 et 1534 et ab Edw. Bülow, *Leipzig*, 1843

4. — In recentiorum Italorum sermonem ab Alfonso Ordoñez (*Venezia* 1505, 1515 et 1531); ab Hieronimo Clarisio Immelese (*Venezia* 1515); a Pedro Nicolini da Savio (*Venezia* 1519); a Pietro Nicolini (1535); et a nescio quo (*Milan* 1514 et *Venezia* 1525).

5. — In Gallorum sermonem a nescio quo (*Paris*, apud bibliopolam Nic-Cousteau, 1527, et apud Nic-Barbon 1542); a Jacq. de Lavardin (*Paris*, 1578, apud Gil Robinot, et apud Nic. Bonfons; et *Rouen*, 1578, apud Cl. Villain); a Charles Osmond (*Pamplona*, 1633; *Rouen*, 1634 et 1644); a G. Delavigne (*Paris*, 1841).

II. — Non inutile nunc fortasse erit præcipua Hispanorum scriptorum opera notare quæ sexto decimo et septimo decimo in sæculis *Celestinam* imitatione expresserunt :

1° *Pedro Manuel de Urrea* primum *Celestinæ* actum hispaniensibus versibus anno 1513 scripsit. Quod inceptum a *Juan Sedeño* anno 1550 perfectum est.

2° Hi sunt libri qui *Celestinam* magis narrantium quam comicorum modo et ratione imitantur :

La Lozana Andaluza, a Francisco Delicado scripta, 1527.
La Ingeniosa Elena (Salas Barbadillo, 1613).
Flora Malsabidilla (ab eodem Salas, 1623).
La Picara Justina (Quevedo).

3° Hi sunt dialogi qui a *Fernando de Rojas* ludis scenicis propriam materiam mutuantur :

La Segunda Celestina (Feliciano de Silva, 1534); *La Tercera Celestina* (Gaspar Gomez, 1537); *Tragicomedia de Lisandro y Roselia* sive *Cuarta Celestina* (Sancho de Muñón, 1542); *Comedia Tesorina* et *Comedia Vidriana*, a Jaime de Huete, in priore sexti decimi sæculi parte compositæ; *Comedia Radiana* ab *Agustin Ortiz* sicut *La Tebaida, La Hipólita* et *La Serafina* ab incertis auctoribus ante annum 1550 scriptæ; *Tragedia Policiana* (Juan Rodriguez, 1547); *Farsa en coplas sobre la comedia de Calisto y Melibea* a *Lope Ortiz de Stuñiga*, et *Comedia Eufrosina* a *Lope de Rueda* circa annum 1540 aut 1550 scriptæ; *Comedia Florinea* (Juan Rodriguez, Medina del Campo, 1554); *Comedia Selvagia* (Alonso de Villegas Selvago, Toledo, 1554); *Doleria del sueño del Mundo* (Luis Hurtado de la Vera, Amberes, 1572, et 1595, Paris, 1614); *Comedia Salvaje* (Joaquin Romero de Cepeda, 1582); *Calixto y Melibea* (Mendoza); *La Escuela de Celestina* (Salas Barbadillo); *La Segunda Celestina* (Salazar y Torres); *El Celoso o la Lena* (Velasquez de Velasco, 1602); *Comedia Eufrosina* a *Ferreira de Vasconcellos* scripta et a *Ballesteros Saavedra* e lusitano in hispaniensem sermonem anno 1631 translata; *La Dorotea* (Lope de Vega, 1632).

III. — Librorum index qui ad *Celestinam* penitus intelligendam nonnihil habere momenti possunt :

1° Sexti decimi sæculi hispanienses auctores : : Teatro completo de *Juan del Encina* (Edicion de la Real Academia Española, Madrid, 1893; *Lucas Fernandez* (Farsas y Eglogas, Madrid, 1867); *Gil Vicente* (Obras, Hamburgo, 1834); *Question de Amor y Carcel de Amor* (Anvers, 1576); Propaladia de *Torres Naharro* (Napoles, 1517, Sevilla, 1520 et 1535, Madrid, 1880); *Lope de Rueda* (Valencia 1567, Sevilla 1576, Logroño 1588); *Juan de Timoneda* (Turina, etc, Valencia 1565); *Juan de la Cueva* (Sevilla 1588); *Micael de Carvajal* (Tragedia llamada Josefina, Toledo 1546, Madrid 1870); *Cristobal de Castillejo* (Farsa de la Constanza, Bib. Escorialensis); *Luis de Miranda* (Comedia Prodiga, Sevilla 1554).

2° Recentiores grammatici qui hispaniensi theatro explanando peculiarem dederunt operam : *D. Casiano Pellicer* (Tractado historico sobre el origen y progresos de la comedia y del histrionismo en España, Madrid, 1804); *J. N. Bohl de Faber* (Teatro español anterior a Lope de Vega, Hamburg, 1832); *D. Leandro Fernandez de Moratin* (Origenes del teatro español. Madrid, Rivadeneyra, 1848); *Eug. Ochoa* (Origines du théâtre espagnol, Paris, 1838); *Schack* (Nachträge zur Geschichte der dramatischen Literatur und Kunst in Spanien, Francfort, 1854); *D. Luis Lamarca* (El teatro de Valencia desde su origen, Valencia, 1840); *George Ticknor* (History of spanish Litterature, Boston, 1864); *D. Vicente Garcia de la Huerta* (Teatro Español, Madrid, 1875); *D. Cayetano Alberto de la Barrera y Leirado* (Catálogo biblio-

gráfico y biográfico del teatro antiguo español. Madrid, 1860); *D. Manuel Cañete* (Teatro Español del siglo XVI, Madrid, 1885).

3° Volumina diversa e quibus utilia quæ iam passim excerpi possunt : *Las Siete Partidas del Rey Alfonso el Sabio* (Madrid, 1807); *Agustin de Rojas* (Viaje entretenido, Madrid, 1604); *Velazquez* (Origenes de la poesia castellana, Malaga, 1754); *Sarmiento* (Memorias para la historia de la poesia, Madrid, 1775); *Mayans y Siscar* (Origenes, Madrid, 1789); *Lampillas* (Ensayo, Madrid, 1789); *Signorelli* (Storia dei Teatri, Naples, 1813); *Blanco White* (Variedades, Londres, 1824); *Collier* (Histoire de la poésie dramatique, Londres, 1831); *Puibusque* (Histoire comparée des littératures espagnole et française, Paris, 1843); *Gayangos* (Memorial histórico, Madrid, 1855); *Wolf* (Studien zur Geschichte der Spanischen und Portugiesischen Nationalliteratur, Berlin, 1859); *Emile Chasles* (La Comédie en France au seizième siècle, Paris, 1862); *D Juan Valera* (Estudios criticos sobre Literatura, Politica y Costumbres de nuestros dias, Madrid, 1864); *Menendez y Pelayo* (Historia de las Ideas estéticas en España, vol. II et III, Madrid 1884 et 1886).

Vidi ac perlegi
LUTETIÆ PARISIORUM IN SORBONA
A. D. XII KAL. APR. ANN. MDCCCC
FACULTATIS LITTERARUM IN UNIVERSITATE PARISIENSI
DECANUS

A CROISET.

TYPIS MANDETUR
ACADEMIÆ PARISIENSIS RECTOR

GRÉARD.

INDEX

QUATENUS TRAGICOMŒDIA *de Calisto y Melibea* VULGO *Celestina* DICTA AD INFORMANDUM HISPANIENSE THEATRUM VALUERIT.

NIMES, IMPRIMERIE COOPÉRATIVE *LA LABORIEUSE*
(Association ouvrière)


U.C. BERKELEY LIBRARIES
C008824110